L-1-10

PLANTARUM

UMBELLIFERARUM

Distributio nova,

PER TABULAS

COGNATIONIS ET AFFINITATIS

EX

LIBRO NATURÆ

Observata & detecta.

AUTHORE

ROBERTO MORISON *Medico & Professore Botanico Regio,*
nec non inclytæ & celeberrimæ Universitatis Oxonienſis P. B.
ejuſdemque Hort. Botanici Præfecto primo.

Doctis (in Arte) ſcribo ; indoctos docebo.

OXONII,

E Theatro SHELDONIANO.

Anno Domini M. DC. LXXII.



T. Pine sculp.

674:11

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI

JACOBO

ORMONDIÆ DUCI, &c.

Universitatis Oxonienſis

CANCELLARIO

DIGNISSIMO.

Illuſtriſsime Princeps,

CUM tanto choro Doctiſsimorum hominum authoritate & conſilio Tuo præſis, etiamſi ego de facie vix adhuc ſim Tibi notus, Tuum tamen aſpectum literis & literatis gratum & propitium fore cur dubitem, nullus mihi relinquitur locus. Cum enim ſis Muſarum Oxonienſium caput, atque poſt Regem Dominum noſtrum Sereniſsimum fautor benigniſsimus, eo ipſo nomine in ſumma veneratione apud omnes Muſas hic degentes habendus es. Proſapia Tua Antiquiſsima, facultates opulentiſsimæ, animi candor, actionumq; ſplendor, & ſuper omnia fides Tua integerrima erga Patrem Patriæ (cui ſemper tanquam fidus Achates foris & domi adhæſiſti) Te ſatis laudant: quid ni Te laudabunt tam dignum Mæcenatem Muſæ Oxonienſes; præcipue cum ſub Tuis auſpi-

auſpiciis floreat Univerſitas, adjuvantibus conatibus, vigilantia & moderamine Vicecancellarii Tui Digniſsimi, aliorumque Rectorum & Gubernatorum conſultiſsimorum, qui omnes ad nutum dicto Tuo audientes morem gerunt. Teque diu incolumem ipſis præeſſe efflagitant. Floreat Gratia Tua decens, floreant conatus omnium Rectorum ac Gubernatorum ſub Tua tutela, floreant Scholares ſub eorum moderamine.

Illuſtriſsime Princeps

Tuus humillimus & devotiſſimus
Servus

ROBERTUS MORISON.

DOMINO

VICE-CANCELLARIO

Vigilantiſsimo

Collegiorum & Aularum Præfectis, Doctoribus, MAGISTRIS,

Aliiſque cujuſcunque Ordinis aut Tituli Viris Dignißimis omni literarum genere imbutis, Benefactoribus ſuis in Univerſitate Oxonienſi Munificentißimis.

S. P. D.

INGENUI hominis eſt fateri (Viri Candidiſſimi & Doctiſſimi) per quos profecerit. Hunc Umbellarum tractatum olim ſub Tutela & Patrocinio Sereniſſimi Ducis Aurelianenſis conceptum, ſub Auſpiciis D. Domini Regis noſtri Caroli II. nutritum, tandemque ſub veſtra Clientela partum, jam publici juris facere audeo. Hic partus qualis qualis ſit, ſine veſtra obſtetricatione lucem non vidiſſet. Quicquid enim luminis Reipublicæ literariæ Botanicæ, ex hac noſtra nova umbellarum methodo advenerit, non minùs veſtræ liberalitati, quam noſtris peregrinationibus, ac lucubrationibus, ſeſe debere neceſſe eſt fateantur omnes, quibus volupe eſt ſtudium Botanicum. Favore & benevolentia quorundam inter vos huc vocatus, propriâ & pronâ Reipublicæ Botanicæ benefaciendi inclinatione quorundam inquam inter vos in gregem veſtrum adſcitus, concomitante Providentiâ Divinâ hoc contigiſſe nullatenus dubito. Homines non ſolum Doctiſſimos, ſed etiam utilitati Publicæ Univerſitatis ſtudentes hic offendimus, quibus hoc ſpecimen novum, ſeu tractatum umbellarum, ſecundùm tabulas cognationis & affinitatis conſtructum inſcribimus & nuncupamus ; munus quidem levidenſe, nec tanto Heroe Cancellario vobiſque fautoribus noſtris dignum, quod tamen verſatis in arte Botanica, atque eidem etiam initiandis, propter methodum facilem, gratum fore expectamus. Omnibus tam hic inter vos, quam alibi terrarum, eo fine perluſtrandum & examinandum exhibemus, ut quibus hi noſtri conatus arrideant, veſtro exemplo proniores reddantur ad reliquas ſectiones promovendas, quas in lucem nos daturos primo quoque tempore pollicemur, niſi deſignatorum aut Chalcographorum obſtent labores ; nos in procinctu ſumus. Prodeat interim primò ſub veſtris auſpiciis Umbellarum doctrina jam reſtituta, & ab infinitis erroribus & gravibus hallucinationibus (quibus hucuſque ſcatebat) purgata, & ad novem genera ſumma redacta, à diversâ formâ & figurâ ſeminum ſic à nobis conſtituta, & compoſita, ac ex libro naturæ obſervata, cum intermediis ſuis diſtributionibus à foliorum diverſa etiam facie notatis & oblatis, ſecundùm regulam à Naturâ ipſâ præſcriptam, nec hucuſque à quovis Botanico ante nos detectam. Si Sereniſſimus Dux Regius Aurelianenſis Princeps (poſt Salomonem) in Botanicis oculatiſſimus hodie in vivis fuiſſet, nullius ope indiguiſſet hæc noſtra Opella, nec cætera noſtra proditura opera tamdiu latuiſſent. Sed Proh dolor! tam Charo Mæcenate

extincto

extincto, tam firmo Atlante dejecto, tam ſolido à nobis fundamine ſublato, cùm nullus mihi adhuc apparuerit Herculeo animo præditus, qui Celſitudini ejus ſuccedere dignatus ſit, coactus fui ad Vos tanquam ultimum aſylum confugere, ut primus hic apparatus Umbellarum methodicè per genera, & ſpecies diſpoſitarum, publico exponeretur, utque doctis & in arte Botanica tam hic quam alibi locorum verſatis communicaretur; quorum examen in hoc noſtro umbellarum ſpecimine non detrecto, ſed idem libens lubenſque ſubire audeo. Denique ne prolixa verborum congeſtione utar (Viri Doctiſſimi & Candidiſſimi) veſtros labores omnes, ad majorem Dei Gloriam, Reipub. literariæ Emolumentum, Sereniſſimi Domini Regis noſtri incolumitatem & ſalutem, ſubditorum ſuorum ſanctam & ſanam educationem dirigi animitus opto; quin & vobis veſtriſque laboribus bene vortere Deum precor. Quidquid eſt hoc noſtrum ſpecimen, vobis vovet ac dicat

Veſtrum omnium humillimus Servus
& Cliens

ROBERTUS MORISON.

PRÆFATIO
AD
Lectorem.

NATURALIS Hiſtoriæ eam partem, quæ de plantis agit, BOTANICEN nempe tradituri, quandoquidem prolixè nimis & confuſè hucuſque ab authoribus in ſcriptis ſuis monumentis exhibetur; nos animo ratum & ſtatutum habemus, ea in medium proferre, quæ longâ experientiâ, & diutinâ inſpectione, atque debito examine ex libro naturæ didicimus; quin & plantas omnes meliori methodo (quàm à quovis hactenus factum) in lucem edere decrevimus, initium faciendo ab umbellis, quæ nondum ad genera ſubalterna, aut ſpecies intermedias, à Botanicis ſcriptoribus reducuntur: ſortaſſe quia difficile admodum eſt diſſimilitudinem adinvenire, ubi nimia eſt ſimilitudo, aut propinquitas, qualis hîc in hac ſectione cernitur. Nos idcirco hoc plantarum umbelliferarum ſpecimen publico exponere impræſentiarum nobiſmet ipſis propoſuimus, atque idem omnibus doctis, & mediocriter in arte Botanica verſatis perpendendum, & examinandum offerre æquum duximus; quod ſi probaverint, animum nobis addent, noſque incitabunt ad majora (quæ meditamur) edenda; quin & ſi quæ ibidem contenta diſpliceant Botanicis, ſaltem in arte verſatis, certiores ab eiſdem rationi & experientiæ innitentibus facti, eadem emaculabimus, & emendabimus, atque ſcopum nobis propoſitum attingere conabimur, operamque dabimus ſedulam, ut omnes ſectiones ſimul junctæ completum (quantum nos penes eſt) opus Botanicum efficiant, ſecundùm methodum à natura nobis propoſitam. Hoc intendimus & hic, & alibi in ſingularum ſectionum enucleatione, nec ſpretâ tamen authorum lectione aſſiduâ. Omnes omnium plantarum (nobis ſaltem hucuſque viſarum) Sectiones rudi penicillo delineatas, & deſcriptas penes nos nunc habemus. Primò non ſolum edimus hoc ſpecimen, trigeſimam operis quod intendimus conſtituens partem, ſed etiam nonam ordine ſectionem, umbellarum omnium doctrinam continentem eo fine damus, ut (quemadmodum aiunt ex ungue leonem) de cæteris à nobis emittendis, verſati in Botanicis facilius poſſint judicare. Porro ſi hæc Sectio doctorum in arte applauſu in ſcenam admittatur, reliquæ uberiori formâ traditæ ſequentur. Doctos omnes Botanicos ubique locorum in conſilium admittimus, eorum judicium, eorum exiſtimatio valebit, dummodo ratio & experientia ipſos concomitentur. Neque nos (aliorum ſcriptorum more) longâ ſerie verborum in hoc noſtro tractatu umbellarum utimur, ſed breviter & ſuccinctè (primò & ante omnia aſſignatâ notâ genericâ) adſcribimus notas ſpecificas, quibus ſingulæ ſpecies, ſub ſuis propriis generibus militantes, tanquam ſub eodem vexillo, ſeu teſſera, poſſint facili aut nullo negotio abinvicem diſtingui. Hac enim methodo ex libro naturæ inſtructi Botanicæ rei ſtudioſi, impoſterùm perſpicuè clarè & methodicè addiſcere poſſunt plantas diſtinctè digeſtas per genera ſuprema, media, & ſpecies infimas, deſcendendo uſque ad ſingularum ſpecierum varietates; adeo ut ſine magnis impenſis librorum, diſpendio & jactura temporis, certâ hac methodo ſcientificâ citius cognoſcant, & firmius memoriâ retineant Botanici hanc noſtram doctrinam novam notis infallibilibus eodem modo ſeſe habentibus, à natura datis, & à nobis primo obſervatis diſtinctam. Inſuper quorundam amicorum in arte verſatorum precibus rogati, natales, tempus florendi, temperamenta, & vires, atque nomina magis nota addidimus. Hæc omnia ad oculum ex ipſis umbellis demonſtravimus in horto publico Univerſitatis, eodem ordine quo in hoc tractatu exhibentur. Reliquas ſectiones pari facilitate percipiendas & ediſcendas (favente divino Numine) trade-

mus, ſingulis annis unam aut alteram edendo, modo faveant cœptis noſtris homines ingenioſi, atq; bonum publicum affectantes, neque enim ſine ope (candidè, planè & ſincerè loquor) poſſunt exhiberi icones ad vivum (ut loquuntur) ex origine ſculptæ, & non, ut hucuſque deſumptæ, ab iconibus vitioſis mendoſiſque, ex Botanicorum ſcriptorum libris male delineatis & ſculptis mutuatis. Modo fiat quod petimus, laboribus noſtris nullatenus parcemus, ut publico prodeſſe queamus, atque ut plantas tam indigenas, quam exoticas, ad συναξίαν *methodumque facilem, & optimam redigamus, quâ naturalis Hiſtoriæ pars hæc,* Botanice *facillime addiſci, & firmiter retineri poſſit, aſſignatis indiciis ratione & experientiâ innixis, atque ex univerſali naturæ methodo petitis, quam tam hic in hac ſectione Umbellarum, quàm in aliis quas intendimus, mihi primo vendico. Non paucos obſervamus poſterioribus hiſce ſeculis de re herbariâ ſcribentes, qui chartas potius inutiliter conſumpsêre, quam mortalibus profuêre. Etenim ſi eorum labores diligentius penſitentur, nihil novi aut eximii in medium proferunt, ſed aliorum tantum ſcripta, in volumima ingentia compilata pro ſuis venditant : quos equidem inanis Gloriolæ, aut lucri vilis cum Typographis faciendi impellit cupido, reputantes apud ſe dulce, ex qualibet re quæſtum facere : ita modò ſtirpes prolixis deſcriptionibus exhibitas proferant, partes toti generi communes recitando, atque ſingulis ſpeciebus iterum atque iterum adaptando, notam genericam aut ſpecificam, ſeu peculiarem in perpaucis aſſignando, egregiè Botanographorum officio ſeſe functos eſſe putant ; de ordine autem ſtirpium parùm ſunt ſoliciti, cum nullam hucuſque ſibi ipſis propoſuêre methodum veram, aut genuinam, quâ inſtructi Botanices ſtudioſi, ſcientificè (id eſt per genera & ſpecies) addiſcant ; cumque methodi omnes adhuc propoſitæ à Botanicæ rei ſcriptoribus ſecundariò tantum plantis conveniunt, ut clare quivis cernere poteſt apud authores Hiſtorias Generales edentes. Nam quidam à loco in quo proveniunt plantæ; alii à viribus, & facultatibus ; alii denique à quatuor anni tempeſtatibus methodum generalem deſumpsêre, ſed neutra harum eſt admittenda ; nam prior Medicinam facientibus inſervire poterit, ac proinde Medicis & medicantibus quodammodo eſt perneceſſaria : altera Botanicis hortulanis, quorum curæ plantarum cultura demandatur, obſervatu etiam perdigna ; hiſce enim Methodis prædictis, plantas toto cœlo genericè differentes junctas videmus, & vice verſâ generice conformes longo intervallo ſeparatas pariter obſervamus. Cum inquam jungendas ſeparant, & ſeparandas conjungunt ; omnes hucuſque in medium methodi allatæ ſecundariò ſunt tantum obſervandæ, ac proinde nos eaſdem rejicimus, & veram ac genuinam methodum, primò & per ſe inſervientem, & à naturâ ipſa vegetabilibus communicatam, teſſerâ, ſeu notâ infallibili, in omnibus ſub eodem genere contentis perceptibilem proponimus. Cumque methodus, ſeu ordo, ſit omnis doctrinæ anima ; idcirco nos tam in hac umbellarum diſpoſitione, quam in univerſali omnium ſtirpium digeſtione, quam pollicemur, notas genericas & eſſentiales à ſeminibus eorumque ſimilitudine petitas per tabulas cognationis & affinitatis diſponentes ſtirpes exhibebimus. Differentias autem ſpecificas à partibus ignobilioribus, ſcilicet radice, foliis, & caulibus, odore, ſapore, colore deſumptas adſcribemus, ſingulis generibus ſingulas accerſendo ſpecies ; ita ſpecies diverſa facie cognoſcibiles, ſub generibus intermediis, genera intermedia ſub ſupremis, notis ſuis eſſentialibus & ſemper eodem modo ſeſe habentibus diſtincta militabunt. Hic eſt ordo à naturâ ipſâ ſtirpibus ab initio datus, à me primò jam obſervatus. Dum enim omnium ſtirpium tam in agris & campis ſponte naſcentium, quàm in hortis Sereniſſimi Regii Ducis Aurelianenſis per plures annos educatarum promptuarium conſtruerem ſeminarium, ex frequenti omnium, & ſingularum ſtirpium ſeminum inſpectione, & ad invicem collatione, graviter authores hallucinatos fuiſſe, tam in plantis denominandis, quam digerendis, aut diſponendis animadverti. Quod cuilibet mecum infrà in hoc umbellarum tractatu conſideranti, atque propiùs intuenti apparebit. Promptuarium meum ſeminarium bis mille diverſarum ſpecierum ſeminibus, & ampliùs, ſingulis ſpeciebus ſingulis pixidibus incluſis ornatum eſt. Eodem ordine in loculamentis diſponuntur,*

tur, quo in tabulis offeruntur, atque ut in horto publico Botanico Univerſitatis impræſentiarum collocantur umbellæ. Paſſim in hâc ſectione ſequenti tria præſtamus, quæ ab aliis ante nos ſcribentibus neglecta, nedum detecta fuêre, quæque non parùm hucuſque cupientibus ſtirpes methodice diſcere offecerunt. Primo genericam ſeu univerſalem, tam generum longe patentium, quam intermediorum aſſignamus notam unicuique generi convenientem. Secundò ſpecificam unicuique ſpeciei propriam, aut peculiarem adaptamus teſſeram. Tertio durationem omnium, & ſingularum ſpecierum denotamus, aſſignatis Characteriſmis appropriatis. V. g. ☉ *denotat vivaces ſeu perennes,* ♀ *annuas indigitat umbellas. Quibus autem affigitur Characteriſmus* ♃ *ſunt aut non ſcriptæ, aut male ab authoribus denominatæ, ac proinde male diſpoſitæ, id eſt extra claſſem aut ſeriem congenerum. Denique natales omnium umbellarum, earumque temperamentum, & vires, nominaque diverſa authorum ſaltem præcipuorum precibus quorundam Botanicorum, ut dictum, aſſignamus. Nec eadem hæc, ſed methodum novam & inauditam, nobis ſolummodo vendicamus, quæ multis perdoctis Botanicis fortaſſis arridebit; etiamſi difficile, imo impoſſibile ſit omnibus placere. Hac ratione intuendo tabulas noſtras dictâ methodo conſtructas, quivis percipere poterit, quæ umbellæ ſunt perennes, quæ annuæ, quæ denique ſub auſpiciis Sereniſſimi Regii Ducis Aureleanenſis Gaſtonis Franciæ collectæ, & obſervatæ, & nunc demum à nobis exhibitæ. Ipſi ejuſque memoriæ eaſdem acceptas referto. Cætera pollicemur ſub auſpiciis Sereniſſimi & Potentiſſimi Domini, Regis noſtri Caroli II. accedente benevolentia fautorum, & amicorum in Inclyta & Celeberrima noſtra Univerſitate, aliorumque Botanices ſtudioſorum alibi degentium, Vale*

Dat. ex Muſæo noſtro in Collegio dicto Univerſitatis. XV. Kal. Febru. 1672.

Tuus, tuiſque inſerviens commodis

ROBERTUS MORISON.

THE PROPOSAL
TO
Noblemen, Gentlemen, and others, who are willing to Subſcribe towards Dr. *Moriſon's* New *Univerſal Herbal*, ordering *Plants*, according to a new and true Method never mentioned heretofore.

WHEREAS Robert Moriſon *Doctor of Phyſick*, Botanick *to His Majeſty, and Profeſſor of that Science in the Univerſity of* Oxford, *hath, by his aſſiduous and many years Obſervation, diſcovered a more Eaſie and Scientifical Method of knowing* Plants *out of the* Book of Nature, *according to the different forms of their* Flowers, Seeds *and* Seed-Pods, *than hath ever yet been Publiſhed: whereof he hath lately (to the great Satisfaction of the Learned, both at home and abroad) given a* Specimen *or* Eſſay *in one of the moſt difficult* Claſſes *or* Sections. *And being now deſirous, for the advancing and facilitating that part of* Natural Hiſtory, *which hath hitherto been ſo tedious and diſcouraging to Students of that Science, for the Honour of this our Famous Iſland, and for the Encreaſe of Learning, chiefly in the Univerſities of* Oxford *and* Cambridge, *with all poſſible ſpeed to finiſh and put out the whole Work; which, by reaſon of the Exceſſive Charge of* Deſigning, Graving, *and* Printing, *he is not able to perform, without the aſſiſtance of ſuch* Noblemen *and* Gentlemen, *as are deſirous to further and encourage this Great Work. He therefore doth Engage hereby to every* Nobleman *and* Gentleman, *or other, who will be pleaſed to favour him with one Plate of Five Pounds, that an Honourable Memorial ſhall be made of him, by Engraving his Coat of Arms on their reſpective Plates, (as is already done in the forementioned* Eſſay, *as likewiſe in an hundred Plates and upward, of theſe preſent five* Sections;) *and that a Book conſiſting of five complete* Sections, *making* 116 *Plates, cut in* Taille Douce, *containing* 2450 Plants, *together with their* Doctrine, *according to his new and true model'd Method: And at the paying down their Five Pounds, each one ſhall receive one of his Specimens* umbellarum, *&c. together with a Receipt under his hand, obliging him to furniſh to each* Subſcriber, *or his Aſſigns, the aforeſaid five* Sections *complete, with their* Doctrine, *they furniſhing him with their Coat of Arms* Blazoned, *the which ſhall be Engraved under their reſpective Coat. And we whoſe Names are hereto Subſcribed, do hereby Engage our ſelves to the ſaid* Robert Moriſon, *to pay, upon demand, towards this Work, each of us the Sum of Five Pounds for one Plate.*

The *Author* finding that he hath employed almoſt Three Years in Engraving 108 Plates, the firſt Two Years carrying on the Work but ſlowly, being partly for want of good or excellent, yea, and the more diligent Gravers; and now this laſt Year, finding ſome Strangers both diligent and able, who join'd with ſome of our own, we want now onely Encouragement of *Subſcribers*, for the paying of the *Painters* and *Gravers*, to finiſh the whole Work, in as ſhort time as can be poſſibly allowed: Therefore we earneſtly wiſh, That other *Noblemen* and *Gentlemen*, who have not Subſcribed as yet, would follow the Example of thoſe *Noblemen* and *Gentlemen*, who have already Subſcribed and paid; and their reſpective Coats ſhall be Engraved, as thoſe of the others are already done.

THE PROPOSAL

TO

PLANTÆ
UMBELLIFERÆ

SECTIO IX.

CAPUT I.

FINITA Sectione octavâ *Corymbiferas* constituente Plantas, jam operæ pretium est, ut *Umbellas*, constituentes Sectionem nonam, disponamus exactiori methodo quam à quovis hucusque ante nos factum. Et ut facilius præstemus quod pollicemur, dicemus quid sit *Umbella.*

Umbella est plantæ Summitas rotunda, caulis fastigio innixa, ex quo plurimi radii ex eodem centro (Caulis scilicet summitate) orti, superficiem ut plurimum planam, nunc convexam, nonnunquam concavam constituunt, ex floribus sæpius albis, aliquando luteis, perraro purpureis conflatam; quibus evanidis, succedunt constanti & invariabili naturæ ordine, uniculque Flori, quinis petalis seu foliolis conflato, bina Semina simul juncta, cujuscunque sit Semen formæ aut figuræ, pronâ parte quâ junguntur concava, supinâ convexa.

Umbelliferas disponemus habitâ ratione Figuræ Seminum: & secundum formam & figuram eorundem, Classes novem, subalterna Genera *Umbellarum* proprie dictarum constituentes, proponemus; quippe nullus adhuc inventus est ordo hujus vasti & longè patentis Generis, qui certiora dabit indicia, quam Seminis eadem forma idem subalternum Genus constituens. Porro animadverte nos hanc elegisse methodum à Seminum figuræ identitate seu similitudine (ex modo crescendi) desumptam, quia Semina sunt Plantæ partes nobiliores, cum propter ipsa reliquæ omnes partes fiant; hisce enim perpetuantur Stirpes, cujuscunque Generis. Folia autem, Radices, & Caules (cum partim per accidens, partim per se tantum inserviant fructificationi, cumque ejus gratiâ sint data) aliò remittemus, ut ex iis specificæ aut genericæ intermediæ plantarum desumantur differentiæ, ut prolixius passim infrà docebimus.

UMBELLÆ PILIFERÆ.

Primum Genus Umbellarum.

Cachrys, seu Libanotis Cachryophoros { *Semine fungoso* { *Lævi* ⊙ ; *Sulcato* { *Aspero* ⊙ ; *Plano* ⊙ }}}

Explicatio Tabulæ superioris.

PRimum Genus *Umbellarum* subalternum esto *Cachryophorum*, seu *Piliferum*, *Cachrys*, seu *Libanotis Cachryfera* dicta, quòd semina fungosâ substantiâ obducta, oblonga, binatim juncta, & compacta gerat, figuramque pilulæ oblongæ, seu nucis myristicæ parvæ instar habeat. Consule Tabulam tertiam Iconum à nobis exhibitam.

Umbellæ Piliferæ nobis cognitæ duplicis ſunt claſſis ; prior humilior foliis ferulaceis conſtat, ſeminaque fert ſubſtantiâ fungoſâ, lævi, & æquali, oblongâ obducta; Viridia adhuc arcte invicem adeo ſunt conjuncta, ut unicum videatur, nec prius abſcedunt, quam ſint perfecta; tandemque exſiccata, hinc inde ſingula ſemina, ſtriata intus, in fungoſâ ſubſtantiâ lævi contenta, à duabus fibrillis, quibus nutriuntur, dependent. Hoc familiare eſt omnibus omnium *Umbellarum* pene ſeminibus binis. Perpende attentè figuram primam Tabulæ tertiæ, cui ſuperſcribitur *Cachrys* ſemine fungoſo lævi, & quam affabre delineatam & ſculptam percipies *Umbellæ* ſuperficiem convexam, ſeminibus arcte adhuc ſibi invicem adhærentibus onuſtam. Ibidem quædam exſiccata & disjuncta à fibrillis pendentia clarè cernere licet, atque poſt bina decidua ſemina, binas reſtantes fibrillas pariter nobis ſumma cum arte exhibuit ſtrenuus noſter *Chalcographus*. Juxta ad dextram, folium pariter ejuſdem delineatum habes *Ferulaceum*.

Altera autem altior proceriorque folia gerit *Peucedani* inſtar, aſt tenuiora; Semina itidem oblonga habet ſtriata (ut ſuperioris) in Gremio fungoſæ ſubſtantiæ torulis canalatæ, ſeu ſulcatæ. Eaque duplex eſt, ratione æqualitatis & inæqualitatis ſeminis fungoſi : nimirum, vel ſemine fungoſo ſulcato aſpero, vel ſulcato plano, hinc duæ ſulcato ſemine præditarum ſpecies, pro torulorum ſeu ſulcorum æqualitate vel aſperitate, utraque foliis *Peucedani* tenuioribus donatur. Unde à foliorum diſſimilitudine, ſeminumque lævitate & aſperitate, in ſeminum torulis fungoſis, cuilibet manifeſta apparet harum trium *Umbellarum Piliferarum* differentia ſpecifica : Genericam autem, ſubſtantia fungoſa obtegens ſemen intus ſtriatum, omnium patefacit notam. De figura convexa ſeminum omnium harum trium *Umbellarum* conſule *Tab.* 3. *Iconum.*

Locus & tempus.

Priores duæ hæ Libanotidis ſpecies in montibus celſis Italiæ, Galliæ, etiam in Africa, & in inſulis Candia, & Sicilia, proveniunt. Cachryos ſemine fungoſo ſulcato aſpero ſemina nobis communicata habuimus Româ à doctiſſimo & peritiſſimo Botanico, Jacobo Barillier *Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctore. Poſtea ipſam plantam ſemine prægnantem Pariſiis apud Dominum* Morinum, *Anglum dictum, conſpeximus. Cachryos ſemine fungoſo ſulcato plano ſemen ex Mauritania Tingitana à Generoſo Anglo* Botanices *valde ſtudioſo* Alexandro Balam *ad me miſſum. Dum hæc ſcribo in horto* Edvardi Morgan, *pone cœnobium Occidentale* Weſtminſter *dictum, omnium hortulanorum Botanicorum quos unquam adii peritiſſimi, ſeminibus oneratur, triplo ſeminibus adultæ plantæ à nobis in Tab.* 3. *iconum exhibitæ minoribus, quia tertio tantum poſt ſationem anno ſemina hæc tulit, adultior majora geret. Flores omnes edunt ſeminaque perficiunt ſub finem æſtatis.*

Nomina

Libanotis dicitur, quod thus libanum ſeu olibanum olet. Hoc commune eſt multis aliis umbelliferis. Prima Libanotis Cachryfera Cam. Cachrys verior Lob. Sic dicta quod ſit ardentis facultatis inſtar pilulæ ferreæ, quâ cauteria cuti inurebantur, quæ cachrys, ſeu canchrys Græcis dicebatur. Libanotis candida dicitur Cæſalpino. Hujus icon à nullo authore bene exhibetur, ideo umbellam, & folium hujus & duarum ſequentium, de novo delineanda & ſculpenda judicavi. Folia ſecundæ à Parkinſono in appendice ad theatrum ſuum exhibentur ſub titulo, Libanotis Galeni petalon Genuinum, ſed nulla appinguntur ſemina. Prior etiam à Park. exhibetur ſub nomine, Libanotis cachryfera, ſeu cachrys verior ; ejuſdem itidem icon à J. Bauhino cum ſemine: ſed cum nullibi bene appingitur, ideo haud abs re fore putavi omnium harum trium libanotidum icones cum foliis & ſeminibus differentias ſpecificas conſtituentibus exhibere, qui plures hujus Generis ſpecies detexerit, eaſdem addat. De non viſis (ut maxima pars Botanicorum ex aliis tranſcribentium præſtitit) non loquor. Vide Tabulam tertiam iconum, & conſule Tabulam Generalem ſeminum umbellarum. A a B b C c.

Vires & temperamentum.

Eſt temperamenti calidi & ſicci, atque vehementer calefacendi & exſiccandi habet vim, ut omnes Umbellæ thuriferæ, menſes provocat, urinam ducit, ſudoreſque excitat. De viribus conſule Joh. Bauh. Pag. 38. Part. pr. Tom. tertii Col. 1. *qui ibidem prolixe deſcribit facultates ſeu vires Libanotidis.*

UMBEL-

UMBELLÆ STRIATO SEMINE DONATÆ.

Secundum Genus Umbellarum.

CAPUT II.

SEcundum Genus *Umbellarum* ſubalternum, eſto earum, quæ ſemina edunt ſtriata, hæque tertiam conſtituunt hujus Sectionis (*Umbellarum* ſcilicet) partem. Secundum quadruplicem foliorum ſitum & diſpoſitionem, quadrifariam eaſdem partiemur.

Umbellæ ſemine ſtriato præditæ, vel ſunt foliis ferulaceis, fœniculaceisve, id eſt, folia ſunt quam tenuiſſime diviſa & diſſecta ferulæ aut fœniculi inſtar. Vel ſecundo loco ſunt foliis lobatim, pinnatim, ſeu conjugatim diſpoſitis, id eſt, foliorum plurimi è regione ſeu alternatim lobi, hinc inde nervo medio ſeu rachi apponuntur, extremum uno claudente. Vel tertio loco, medio modo ſe habent, nec ſunt ferulaceis, nec lobatis, ſed intermediis plurifariam diviſis. Quarto & ultimo loco adjicientur *Umbellæ* ſtriato ſemine donatæ, quarum folia quid peculiare referunt. Primo loco nobis occurrunt Umbellæ ſtriato ſemine ditatæ, foliis fœniculaceis prædítæ; eæque ſunt duplices, ſemine craſſiore & longiore, vel breviore & minore ſtriato : de illis nunc, de his inferius dicemus.

UMBELLÆ FOLIIS FOENICVLACEIS

Semine ſtriato majore donatæ.

Fœniculum { *Vulgare* ☉ / *Dulce* ☉ }
Cuminum ♀
Meum athamanticum ☉

Explicatio Tabulæ præcedentis.

FOEniculum eſt *Umbellarum* ſemine majore ſtriato foliiſque Ferulaceis præditarum *Umbellifera* prima planta. Fœniculum adeo omnibus eſt notum, ut multis in ejus communibus cum aliis Ferulaceis aſſignandis notis immorari non eſt operæpretium. Odore & ſapore, à cæteris ſuæ claſſis notu quam dictu facilius. Eſtq; vel vulgare, cujus odor eſt remiſſior ; vel dulce, in omnibus ſuis partibus vulgari accedens, excepto ſolo Guſtu dulciori, & odore fragranti intenſiore, cùm in foliis, tùm ſeminibus.

Locus & tempus.

Vulgare in rupibus maritimis Armoricis aliiſque calidis & ſaxoſis, dulce in Italia, & regionibus calidis provenit. Ad Septentrionales regiones delatum, & cultura ex ſatione iterata propagatum, degenerat in vulgare. Utrumque floret æſtate, & ſemen profert ſub Autumni finem.

Nomina,

Primum eſt vulgare Ger. commune Geſn. Hort. Hortenſe Cæſ. Hoc ex ſylveſtri ſeu Marathro veterum tantum ſatione diſcrepat, quemadmodum multæ aliæ ſtirpes ſylveſtres ex mangonio & cultura in hortos tranſlatæ, hortenſes devenêre. Secundum eſt dulce Matth. Lob. ad. Ger. Dod. Habemus & dulce Azoricum

cujus

cujus radii, ſeu petioli, ſuſtinentes ſemina ſunt multo craſſiores & longiores, & conſtituunt ſuperficiem concavam, ſemina ſunt pariter multo majora.

Temperamentum & vires.

Fœniculum calidum & ſiccum eſt. Semen ejus decoctum ac bibitum contra ſerpentum ictus auxilio eſt, menſes cit, nutricibus lac auget, Teſte Trago. Conſule Joh. Bauh. ſub initium partis ſecundæ, Tomi tertii, qui prolixè ſatis docet fœniculi vires à diverſis authoribus traditas.

Cuminum foliis ſemineque ſtriato majore, priori (Fœniculo ſcilicet) valde accedit. Omnium ſui Generis eſt humillima planta, ſemipedalis aut vix pedalis eſt altitudinis, in ſummis caulium ſemina ſunt longa, ſtriata, forma & magnitudine fœniculi ſeminum æmula, ſed acris & ingratiſſimi Guſtus eſt, teterrimum quid redolentis, atque palato valde injucundum eſt etiam ipſius ſemen.

Locus & tempus.

In inſulis Mediterraneis, Melita, Creta, Cypro, variiſque regionibus Orientalis Syriæ copioſe provenit. Æſtate floret, & ſub ejuſdem finem ſemen perficit ſuum.

Nomina.

Cuminum officinarum Cæſ. ſativum Tragi, Matth. Dod. vulgare Park. Dioſcoridis Ger. quod non poteſt eſſe noſtrum quippe ori ingratum & injucundum, Dioſcorides de ſativo Cumino inquit, ori gratum eſt.

Temperamentum & vires.

Cuminum calidum eſt & ſiccum. Ejuſque ſemen flatus diſcutit, colicoſque ſanat dolores. De viribus Cumini conſule Joh. Bauh. Pag. 23. Partis ſecundæ Tom. 3. colum 1.

Meum Athamanticum Cumino eſt multo altius, fœniculo autem humilius, à quo foliorum diviſionibus ſeu inciſuris (quippe denſioribus) ipſo itidem colore differt, habet enim folia dilutius virentia, tenuius diſſecta ipſius fœniculi foliis, multoque breviora. Præcipue autem accedunt ſapor & odor à fœniculo & cumino omnino diverſi, radices interdum ſingulæ, interdum plures, dodrante longiores, nunc tenuiores, nunc craſſiores; ex harum lateribus oriuntur aliæ radices obliquæ, ſatis longæ, nec in aliis radicibus ſic adnatæ provenire ſolent, quin & ſurſum tendere ut plurimum conſpiciuntur.

Locus & tempus.

Creſcit in montibus Arverniæ, aliiſque Italiæ, Galliæ, Britanniæque locis altis. Semen producit æſtate, ſed non in uberiore copia, quia radice eſt copioſa, huc illuc ſeſe ſpargente, non repente, ſed ſuperiora petente, ideo natura non eſt tam intenta ejus productioni per ſemina.

Nomina.

Meum Matth. Hiſt. Lugd. Dod. Ger. vulgatius Park. Meu vulgare ſive radix urſina J. B. Athamanticum Dioſcor. daucus Creticus Fuch. Trag. Lob. icon.

Temperamentum & vires.

Meum calidum & ſiccum eſt in tertio gradu, urinam ciet, & provocat menſtrua, radix ejus in cerviſia infuſa & macerata fluxionibus thoracis, & anhelis medetur, vide J. Bauh. Pag 2. Part. 2. Tom. 3. col. 1. qui prolixius illic agit. De ſeminibus ſtriatis majoribus, vide Tabulam Generalem Iconum ſeminum Dd Ee Ff ejuſdemque explicationem. De foliis ferulaceis vide Tabulam Icon. 4. ubi fœniculi depingitur folium, adinſtar cæterarum ſemine maj. ſtriato foliiſque ferulaceis donatarum Umbellarum.

UMBELLÆ FOLIIS FOENICVLACEIS Semine ſtriato minore donatæ.

Meum ſpurium ſeu adulterinum. ☉
Bulbocaſtanum. ☉
Selinum montanum pumilum, Cluſ. ♆
Saxifraga pannonica, Cluſ. ☉
Viſnaga. ♆

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Meum ſpurium. Umbellarum Ferulacearum, ſemine ſtriato minori & breviori donatarum, eſt prima. Folia vulgaris habet duriora, craſſiora, & habitiora, ſubviroſi odoris, pegani, ſeu rutæ Narbonenſis, tenuifoliæ quodammodo æmula, ex quorum ſinu exeunt caules obliqui, pedales, nonnunquam ſeſquipedales, ſuſtinentes ſemina ſtriata minora. Radix major, Peucedani facie & concretione, pulla foris, tetri & injucundi cùm ſaporis tùm odoris. Neſcio quo jure authores Mei ſpurii indidere nomen, cum nec odore, nec ſapore, nec cæteris notis, cum Meo Athamanco aliquid habeat affinitatis.

Propius ad ſeſelión accedit claſſem (cum Johanne Pona) & odore, & ſapore; ſed cum ſit *Planta Umbellifera* foliis fœniculaceis, & ſemine ſtriato minore donata, nos parum ſoliciti de nominibus ad ſibi conſimiles reduximus.

Locus & tempus.

Meum ſpurium in collibus aridis paſſim in Gallia provenit. Floret ſub finem æſtatis. Ineunte autumno ſemen ſuum perficit.

Nomina.

Meum ſpurium alterum Italicum Lugd. meum ſpurium Italicum, Park. Spurium alterum Italicum quibuſdam, J. B. Lob. Hiſt. Lugd.

Temperamentum & vires.

Eſt temperamenti calidi & ſicci, ijſdemque pollet viribus, quibus Pimpinellæ Saxifragæ omnes tenuifoliæ.

Bulbocaſtanum. Planta eſt Ferulaceis foliis, ſemine ſtriato minori & breviori etiam prædita, à cæteris ſuæ claſſis notu perquam facilis, quòd ſola ſit *Umbella* radicem habens tuberoſam, nodulis bulbiformibus conſtantem, quæ alias producit tuberis effigie, exterius nigras, ſeu fuſcas, intus candidas, teneras, ſapore grato ſatis, & dulci: eſtur & cruda, & cocta, ut caſtaneæ fructus, marones dicti.

Locus & tempus.

Provenit inter ſegetes, & in aridis montoſis, argilloſis, neglectis. Circa Pariſios, & Londinum, Bulbocaſtanum ſatis frequens. Floret & ſemen perficit ſub exitum æſtatis.

Nomina.

Bulbocaſtanum ut plurimum ab authoribus nuncupatur. Bunium Geſn. Βούνιον *Dioſc. Nucula terreſtris Septentrionalium, Lob. ad. Pancaſeolus vulgo Italorum, Cæſ. nomine ex pane & caſeo confecto, quorum vicem in cibis explet radix tuberoſa è terra eruta, ſive cruda ſive cocta. Bulbocaſtanum à forma bulbi & odore caſtaneæ nomen invenit ſuum.*

Temperamentum & vires.

Bulbocaſtanum calidæ & ſiccæ eſt facultatis, moderate aſtringit, radix ejus conſpuentibus aut mejentibus ſanguinem prodeſt. Vide prolixius apud J. Bauh. Pag. 30. Tom. 3. Part. 2.

Selinum pumilum montanum. Omnium Ferulacearum ſemine ſtriato minore & breviori donatarum, *Umbella* eſt minima; vix enim ſpithamæ ſuperat altitudinem. Inſuper ſeſe in plurimos ramuſculos findit, & foliis ferulaceis brevibus donatur.

Locus & tempus.

Provenit in collibus aridis & glareoſis circa Rupellam, & caput Borbonum, alibique in agrorum marginibus, & nudis, gramineiſque montibus Auſtriæ, Pannoniæ, teſte Cluſio. Floret Maio exeunte. Semina producit verſus æſtatem mediam craſſiora & turgidiora, quam pro proportione plantæ; Vide Tabulam Generalem iconum ſeminum Ii.

Nomina.

Daucus montanus multifido folio, ſelini ſemine, C. B. P. Selinum montanum pumilum, Clus. Hiſt. Oreoſelinum, Tab.

Temperamentum & vires.

Calidi & ſicci eſt Temperamenti, proinde aperit, attenuat, ſudoreſque movet.

Saxifraga pannonica, Cluſ. Foliis eſt ferulaceis, ſuperioris ſelini pumili multo longioribus & tenuioribus. Caules emittit cubitales & ſeſquicubitales. Forte eadem eſt hæc planta cum caucalide Anglica Penæ; ſed quam male caucalis diceretur, cum non ſit ſemine hiſpido vel echinato, ſed ſtriato minore & breviori, videat infra lector, in hac noſtra doctrina *Umbellarum*, per Tabulas cognationis ſeu affinitatis diſpoſitarum.

Locus & tempus.

Saxifraga pannonica provenit ſatis obvia in ſylva regiæ Fontaine-belleau dicta Bois Bouronne. Eſt calidi & ſicci temperamenti, ut ſelinum Pumilum montanum, quod cuilibet ſemina utriuſque guſtanti ſtatim apparet. Proinde non minus prodeſt ejus ſemen calculoſis, quam reliquæ Saxifragiæ ſpecies.

Nomina.

Daucus montanus multifido longoque folio, nobis. Perperam brevi, Caſp. Bauhino. Saxifraga pannonica Clus. Hiſt.

Temperamentum & vires.

Iiſdem donatur viribus quibus Saxifragiæ umbelliferæ omnes, quantum ex maſticatione ſeminum pari fervore & ſapore præditorum haurire potuimus.

Vlſnaga ſeu *Gingidium.* Planta eſt *Umbellifera* Ferulacea ſemine ſtriato minore & breviore donata, cujus radii, ſeu pediculi, è caulis ſummitate orti, floſculos albos ſuſtinentes, planam conſtituunt ſuperficiem, ſemina autem matura concavam, nidi aviculæ inſtar, ad modum Carotæ, aut tordylii Syriaci ſemine granulato majore nobis, quod Caucalis Syriaca authoribus dicitur. Superficies concava aliquibus paucis aliis *Umbellis* eſt familiaris. Viſnagæ radii ſeu pediculi caulis faſtigio ſuperiori innixi, ſunt *Umbellarum* omnium rigidiſſimi, nonnihil odorati: unde Hiſpani poſt matura ſemina, cum tandem duri redduntur, ad expurganda ea quæ dentibus à cibo inhærent, dentiſcalpii vice iiſdem utuntur. Folia ejuſdem viridia contrectata graveolent cicutæ ritu, quin & folia & radices amara ſunt.

Locus & tempus.

Inter ſegetes calidarum regionum Hiſpaniæ, Galliæ Narbonenſis, Galloprovinciæ, ſponte oritur.

Nomina.

Gingidium, ſeu viſnaga, ab omnibus quaſi authoribus vulgò denominatur. Cumini ſativi alterum Genus Cæſalpino dicitur.

Tem-

Temperamentum & vires.

Viſnaga teſte Galeno ſiccat or dine ſecundo. Quatenus eſt amara, caliditatem poſſidet manifeſtam & aſtringentem. Conſule Tabulam Generalem Icon. ſem. Gg Hh Ii Kk Ll ac ejuſdem Tabulæ Explicationem de ſeminibus. Quoad folia Ferulacea minora vide Tab. Icon. 4. ubi meum ſpurium adinſtar cæterarum foliis ferulaceis minoribus præditarum umbellarum adſcripſimus, ejuſque folium ferulaceum ſculpendum curavimus.

UMBELLÆ LOBATÆ MAJORES,
Semine ſtriato majore donatæ.

Leviſticum. ☉

Siler montanum { *majus.* ☉ / *minus.* ☉ }

Siler aquilegiæ foliis. ☉

Angelica { *Sativa, ſeu major Dod.* ♀ / *Sylveſtris Dod.* ♀ / *Maxima montana C. B. P.* ♀ / *Lucida Canadenſis, Cornut.* ♀ / *Sylveſtris minor repens, ſeu erratica.* ☉ }

Imperatoria. ☉

Aſtrantia { *major.* ☉ / *minor.* ☉ }

Smyrnium { *majus, ſeu Matth.* ♀ / *Creticum.* ♀ }

Explicatio Tabulæ præcedentis.

SEcunda diviſio *Umbellarum* ſemine ſtriato donatarum, erit earum quæ lobatim, conjugatim, ſeu pinnatim folia ſua coſtæ mediæ, ſeu rachi, nunc è regione, aliquando alternatim appoſita, & eidem adnaſcentia gerunt, uno ſemper extremum claudente; eæque ſunt duplices pariter, majores, majoreque ſemine donatæ, vel minores, minoreque ſemine prædítæ; de iis prius, de his poſterius.

Leviſticum. Omnium *Umbellarum* lobatarum, ſemineque majore ſtriato præditarum, eſt maxima; adeo ut ipſius caulis ſit rotundus, craſſus, geniculatus, humanam altitudinem excedens, cavus, ſtriatus. Folia à radice profert longis pediculis erecta, foliis apii latifolii longiora, & candidiora, ſeu dilutius virentia; iidem pediculi ſunt odore valde medicato, nec ſine jucunditate, ſi rupti naribus admoveantur. *Umbellas* fert luteas, planas. Fatiſcentibus floribus ſingulis, quinis petalis reflexis luteis, conflatis, binatim ſuccedunt ſemina farcta, fœniculi majora, ſtriata, multum odorata, quaſique refinaceum quid redolentia.

Locus & tempus.

Ubi ſponte oriatur non conſtat hucuſque Botanicis; in hortis tantum obſervatur. Flores producit luteos, reflexos media æſtate, qui vix bene expanſi obſervantur, propter nimiam feſtinationem naturæ ad ſeminum formationem, & perfectionem. Semen perficit decedente æſtate.

Nomina.

Leviſticum, Matth. Dod. Lob. vulgare, Park. Libyſticum vulgare, Fuch.

Tem-

Temperamentum & vires.

Leviſticum eſt ex ordine exſiccantium & calefacientium, ad Venena propulſanda non minus utile quam Angelica. Leviſtici radix ſtomacho frigido eſt utilis., coctionem adjuvat, ſuperfluas humiditates conſumit, in vino pota pondere ℥ ſs. venenum educit, urinas & menſes trahit. In ſeſſionibus & balneis adhibetur ad urinam ciendam, menſes provocandos, calculos educendos. Interna omnia membra calefacit. Puerperæ ſemen in potu & cibo uſurpant, & balneis ſudatoriis adjiciunt, ut à partu rectè purgentur. Hæc ex Trago. Qui plura de hujus viribus deſiderat, conſulat J. B. pag. 123. Tom. 3. Part. 2. qui omnes ab omnibus authoribus Botanicis vires eidem aſſignatas, prolixe ſatis ibidem in medium adfert.

Siler montanum. Priori (leviſtico ſcilicet) quàm proxime accedit quoad caulis altitudinem: ipſa vero folia ex pediculis palmaribus aut ſeſquipalmaribus in alas oppoſitas dividuntur. Segmenta externa ſemper fere terna, oblonga, latiuſcula, mucrone læviter obtuſo, inſtar cithyſi Tragi foliorum. Semen magnum, oblongum, ſtriatum, ſapore ingrato, cumino valde accedente. Infimam caulis partem prope terræ ſuperficiem ornat coma fibroſa, & rugoſa, ut cernere licet in Peucedano, & variis aliis odoriferis *Umbellis*.

Locus & tempus.

Liguſticum à Ligurinis, ſeu Appenninis montibus ſic dictum, quod ibidem proveniat. Haud procul Genua in aſperis montibus. Etiam in monte Thermis Badenſibus imminente, ubi copioſe, & nuſquam abundantius naſcitur. Per totam Auſtriam creſcere obſervabat Carolus Cluſius. Floret menſe Junio, & ſemen perficit Julio, & Auguſto.

Nomina.

Siler montanum, Trag. Lob. Dod. Seſeli ſive ſiler montanum vulgare, J. B. Siler montanum vulgo Seſelios, Park. Liguſticum, Matth. Lugd.

Temperamentum & vires.

Hujus ſeminis vis eſt excalefactoria atque reſiccans ordine tertio, urinas & menſes potu ducit. Concoctionem promovet. Vide Joh. Bauh. pag. 169. & 170. Tom. 3. Part. 2.

Siler aquilegiæ foliis, nobis. Sic dictum, quia magis congruit cum ſilere, ſeminis odore & Guſtu, quam cum ulla Libanotidum (proprie à nobis ſic dictarum ab initio hujus tractatus de *Umbellis*) ſpecie, quæ ſemina fungoſâ ſubſtantiâ incluſa habent. Inadvertenter Libanotis C. Bauh^no^ dicitur, niſi quod ſuccum fundat ex medulla, medium quid inter aroma & Ariſtolochiam ſapore redolentem; atqui ſuccum odoriferum multis diverſarum *Umbellarum* ſpeciebus diverſis effundere contingit. Aptius ex odore, ad ſiler, quam ad liguſticum cum J. B. aut ad ſeſeli cum Camerario reducitur. Sit Siler, ſit liguſticum, ſit ſeſeli, eſt ſemine ſtriato majore, ac proinde non admitto eſſe Libanotidis ſpeciem Semine fungoſo, ſin ſecus ſi ſub uno & eodem nomine militarent omnes thuriferæ *Umbellæ*, nulla habita ratione conformationis ſeminum, ſed odoris thuriferi quem eructant, eadem confuſio maneret, quæ fuit poſterioribus hiſce ſeculis. Nos inter obſervationes generaliores exhibebimus nomenclaturam *Umbellarum*, cum liquores gratos & jucundos, tum ingratos & fætidos ſuggerentium. Inter omnes *Umbellas* hæc Sileris ſpecies primo intuitu cognoſcitur, quod folia ſint craſſa, rigida, glabra, viridia, & ſplendentia ſuprà, ſubtus candicantia, quæ inſtar foliorum aquilegiæ dividuntur, inferiora in vegetiore planta, plerumque quinos habent lobos, ex triplici pediculi diviſura, aliàs ternos lobos, tribus pediculis inſidentes. Caulis ei eſt unicus, cubitos binos, raro ternos ſuperans, in plura brachia diſtributus, *Umbellam* magnam floribus albis

parvis

parvis compoſitam ſuſtinens. Semina bina, longa, compreſſa, ſtriata, guſtu ſubamara, cumini ſaporem imitantia, aromaticum quid redolentia profert, quæ ſi maſticentur, modice excalefaciunt, & ſalivam cient.

Locus & tempus.

Naſcitur in Gargano monte Apuliæ. Floret æſtate.

Nomina.

Siler aquilegiæ foliis, nobis. Libanotis latifolia aquilegiæ folio, C. B. Prod. deſc. Park. deſc. Seſeli Æthiopicum, Cam. liguſticum, Rawolffii foliis aquilegiæ, J. Bauh. à quo exhibetur figura manca.

Temperamentum & vires.

Excalefacit & ſiccat ordine ſecundo, aperit, incidit, attenuat, amara & acris apparet ex maſticatione.

Angelica. Folia habet magna lobata ſub exortum, ter tripartita (prædictarum more) nunc plus, nunc minùs diviſa, & ramuſculis annexa, uno ſemper extremum claudente. Si pediculi aut folia rumpantur, gratum naribus ſuffundunt odorem. Semina præcedentium ſeminibus multo ſunt breviora, magiſque odora, ſtriis, ſive ſulcis altioribus donantur, id eſt, alæ ſeu ſtriæ paleaceæ, aut membranaceæ, altius attolluntur quam in quibuſvis aliis *Umbellis* ſtriato magno ſemine præditis.

1. Prima eſt ſativa, ſeu officinarum, ſic dicta à cultura, odore, ſapore, ſucco croceo ex inciſione manante, lippis & tonſoribus nota; quare in communibus ejus (cum aliis) notis aſſignandis diutius non immorabimur; videte plantam in hortis cultam.

2. Secunda ſylveſtris, quod in ſylvis udis vegetet, aut ad fluviorum ripas & in uliginoſis proveniat, ſativæ per omnia ſimilis, niſi quod nec odor, nec ſapor illi tam vehemens, multumque odore ſativæ cedat. Foliis, & ſemine, cæteriſque omnibus (excipe colorem & parvitatem) ſativæ eſt æmula.

3. Tertia Angelica ſylveſtris montana, ſeu Archangelica, Clus. Hæc foliorum amplitudine, & ſingularium frequenti numero, ſativam ſuperat. Plurima folia hujus ramuſculi ſuppeditant. Semen eſt latum, longius, & craſſius: alta radix. Folia & caules, exigui & obſcuri ſunt odoris. Qui ſylveſtrem, & hanc montanam decumanam, eandem ſpeciem, natalibus differentem fecerit, per me non ſtabit. Si quis eandem *Umbella* lutea præditam (ut vult Lobelius) in medium attulerit, erit abſque dubio ſpecies diſtincta.

4 Quarta Angelica lucida Canadenſis Cornuti. A cæteris primo intuitu quam facillime diſtinguitur, quod folia gerat lucida (caulis ejus vix cubitum implet) & adeo lucentia, ut viſco aut aliquo liquore ſplendente obduci, cuilibet ipſa intuenti appareant.

5. Quinta ab effectu podagraria dicta, quæ radice per terram ſeſe diffundente, & ſemine nigro cæterarum ſuæ claſſis ſeminibus minore, rugoſo, ſtriis adhibito tantum Microſcopio viſibilibus, facile à prædictis diſtinguitur. Atque nullis *Umbellis*, (præter animi Fuchſii, Imperatoriam, cæteraſque perpaucas) repere eſt proprium. Semen ejus eſt nigrum & oblongum, duplo minus cæteris præcedentium, fortaſſis propter defectum alimenti, cum natura tam ſit intenta ejus multiplicationi radicibus repentibus ſub terram.

Locus & tempus.

Prima Angelica ſativa in Scandinavia, Norvegia, & Alpibus excelſis, perpetua nive tectis, ſponte oritur. 2da ſylveſtris in ſylvis humidis & in uliginoſis marginibus rivulorum, & ripis fluviorum naſcitur. 3a in Alpinis

aliisque montibus reperitur. 4ta ex Insulis Americanis, ex Canada ad nos delata. 5ta seu podagraria, in humectis & secus sepium radices provenit. Florent omnes ineunte æstate, semenque paulo post perficiunt, nec nisi secundo, aliquando tertio post sationem anno, semina sua perficiunt; at post maturum semen, penitus omnes pereunt præter vivacem podagrariam.

Nomina.

Prima dicitur Angelica sativa, C. B. P. Matth. Trag. Park. odorata, Cam. major, Lob. Dod. 2a sylvestris major C. B. P. sylvestris, Tragi. Matth. Fuchs. Dod. 3a Angelica montana, sylvestris, seu Archangelica, Clus. Dod. 4ta Canadensis, lucida, Cornut. 5ta sylvestris minor, seu erratica C. B. P. podagraria Lob. Ad. erratica, Thal.

Temperamentum & vires.

Angelica calida est & sicca, venenum educit, sanguinem dejicit, corpusque calefacit. Si quis repentina peste aut sudore immodico corripiatur, is capiat radicis Angelicæ in pulverem redactæ ʒ ss. cum Theriacæ ʒ j. misceantur in 3. aut 4. cochlearibus aquæ ex radice Angelicæ destillatæ, bibat, deinde in lectum se conferat, & se bene contegat, ac ad minus tribus horis jejunet, & solatium percipiet. Radix in aceto macerata, & tempore pestis odorata, etiam nonnunquam aceto cum illa poto, si jejunus sit, præservat à peste. Omnibus internis affectibus prodest aqua ejus destillata, & radix in pulverem redacta; semen ejus denique summæ est cum radice efficaciæ: vide Tragum, & consule Joh. Bauh. pag. 142. Part. 2. Tom. 3. & pag. 143. ejusdem Tom. Angelica sativa, sylvestris, Canadensis, & Archangelica montana, postquam defloruerint, semenque ad maturitatem produxerint, quod (ut dixi superius) secundo, aut tertio fieri solet anno, putrilagine in terra corrumpuntur, & totaliter, id est, penitus quoad caules, radices, omnesque partes pereunt, sese anno vertente ex semine de novo in terram decidente renovantes.

IMperatoria. Ab imperatoriis quibus pollet viribus sic dicta. Folia angelicæ foliis multo habet ampliora, terna ut plurimum juncta, rugosa, & subaspera, quorum singula rursum in tria segmenta serrata, seu lobos aliàs lævius, alias profundius divisos, distribuuntur. Caules vix bipedalem, aut ad summum tripedalem attingunt altitudinem. Flosculos (deliquium patientibus petalis) in *Umbella* gerunt albos. Semen est candidum, latiusculum, compressum, striis depressioribus, & quasi acerosum, nec bene nutritum; quod contingit propter nimiam rependi facultatem in radicibus. Quin & radices sunt rugosæ, lateralibus fibris serpentibus donatæ; quibus sese propagant: summa tellure actæ carne sunt candida, aromatica, linguam vellicante, & os calefaciente. Quare concludendum est Imperatoriam veram & genuinam Angelicæ esse speciem, ab odore, sapore, & consequenter viribus.

Locus & tempus.

Imperatoria in montibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ provenit, semina sub finem æstatis perficit, sed raro bene nutriuntur, nec sunt pulpa repleta. Consequenter sterilia, propter supra dictam rationem hic, & in podagrariæ deductione.

Nomina.

Dicitur Imperatoria major, C. B. P. Imperatoria Matth. Tab. Ger. imperatoria seu astrantia vulgaris, Park. Magistrantia, Cam. Herba tenа, Cæs.

Temperamentum & vires.

Imperatoria calida est & sicca in 3io Gradu, menses & urinam provocat, fœtus mortuos educit. Uteri & intestinorum flatus, etiamque ventris, mirificè discutit, quapropter colicruciatibus & ventriculi torminibus maximè utilis est. De cæteris consule J. Bauh. pag. 138. & 139. Tom. 3. Part 2.

ASTrantia. Planta est *Umbellifera*, omnesque *Umbellæ* proprie dictæ conditiones possidet, & ideo negligenter à Doctiss. Casp. Bauhino collocatur in Pinace suo (suffragantibus aliis ante se scribentibus authoribus) cum Helleboro. Vide hallucinationes Casp. Bauh. in Pin. pag. 377. & 370. Prælud. Nostr. Botan. Hujus folia in 5. vulgariter

ter, aliquando 7. lobos dividuntur, arcte ſibi invicem junctos verſus pediculum; ſaniculæ montanæ vulgaris in modum, obſcurius virentia; è quorum centro exeunt cauliculi ſeſquipedales, in cimis ſuſtinentes foliola plurima, latiuſcula, brevia, ſubviridia, cingentia ſtellatim baſin radiorum ſemiuncialium, gerentium floſculos minimos, quinis petalis (aliarum *Umbellarum* ritu) conflatos, perſicæ florum coloris, totidem ſtaminulis apicibus rubellis ornatos. Floribus ſingulis deciduis ſuccedunt ſemina bina, ſtriata, aſpera, ſeu rugoſa. Hujus datur minor ſpecies ſpithamæa, quoad prædictas omnes partes minor, ſemenque duplo minus ferens, ut obſervavimus in horto Regio Blæſenſi.

Locus & tempus.

Creſcit utraque in Alpibus, florentque Maio & Junio, paulò poſt ſemina ad maturitatem perducunt. Vide Tab. generalem ſeminum Rr. & Tab. Iconum 4. ubi de novo delineandam & ſculpendam ipſam plantam ſeminibus onuſtam curavimus, ut obſervarent Botanici docti incuriam & negligentiam prædictorum neotericorum authorum, mordicùs adhærentium veteribus, appellando veratrum aut helleborum nigrum cum Dioſcoride, propter ſcilicet (ſi diis placet) radices nigras, & purgandi facultatem.

Nomina.

Aſtrantia nigra, Lob. Sanicula fœm. Geſn. Fuch. Imperatoria nigra & Sanicula fœmina Tab. Helleborus niger, Saniculæ folio major, C. B. P. oſteritium montanum, Trag. deſc. Altera nominatur Helleborus niger ſaniculæ folio minor, C. B. P. Nobis autem aptius cum Tabernemontano denominabitur imperatoria nigra major, & altera nigra minor, eaſdem collocando & nominando inter congeneres.

Temperamentum & vires.

Tota hæc planta naturam habet calidam & acrem. Radix & ſemen plus habent acrimoniæ quam caules & folia, quod, notatu dignum, omnibus Umbellis convenit, efficacius ſcilicet operari ſemine & radice quam foliis, quia omnium ſemina ſunt calida, nec cicutam nec coriandrum excipio, etiamſi folia & hujus & illius, dum adhuc ſunt viridia, & ſucco alimentitio abundantia, odorem teterrimum edant, & quaſi venenatam qualitatem ſuffundant, odoratui ingratam & noxiam, hujus tamen ſemen exſiccatum, gratum odore & ſapore eſt, imo ſeſe calidum & ſiccum eſſe oſtendit, etiamſi viride adhuc ingratum ſit, & quaſi nauſeabundum, atque venenata qualitate præditum; cicutæ ſemen pariter calidum & ſiccum in remiſſiore gradum aſticatum palato apparet, amiſſa & depoſita venenata illa qualitate, quæ in partibus omnibus adhuc viridibus, ſucco illo alimentitio deſtructivo abundantibus latebat. Atros autem alioſque humores radices hujus Imperatoriæ nigræ expurgare, teſtes ſuppeditat Germania nonnullos exercitatiſſimos medicos, qui hiſce melancholicos purgatos, feliciter ad ſanitatem reduxere. Purgandi huic facultatem adeſſe teſtatur etiam Geſnerus in epiſtola ad Occonem, in qua aſtrantiæ nigræ, hellebori albi fere ſimiles vires, ſed tamen mitiores & per alvum purgatrices primùm ſe expertum refert, quæ ſententiam Dodæi, Dioſcoridis ſcilicet veratrum eſſe nigrum confirmant. Hæc Dodonæus. Fabius Hildanus ad curationem ſchirrhi lienis in Apozemate præſcribit. Fuchſius affirmat ſaniculam ſuam fœminam forma & facultate ad veram ſaniculam proxime accedere, & in ea, ut in mare, amaritudinem & aſtrictionem eſſe. Flores ſunt cærulei diluto colore, nonnihil purpuraſcentes, ſive ut Dioſcorides ait, λευκοὶ ἐμπορφύρεοι. Habeat facultates alterutrius veratri, ſeu Hellebori, & ad omnia efficaciùs, neutiquam tamen accedit veratro ſaltem quoad partes principales, flores ſcilicet & ſemina (ut patet ex libro naturæ) quæ omnino accedunt umbellæ oſteritium dictæ Trago. Habita ratione facultatis purgativæ, quam contra experientiam Geſneri non pernego, poteſt diſponi inter purgantes, ſicut & Thapſia (à radice cui Turpetum indidere nomen) aliæque umbellæ plurimæ, ſed ratione partium ad umbellam perfectam conſtituendam requiſitarum, contendo jure optimo, eandem eſſe umbellam, atque à ſapore & odore reliquarumque partium eſſentialium formâ omnino accedere Imperatoriæ nigræ, à nigredine radicum apte ſatis ſic dictæ. Vide Tab. 4. Icon. ubi habes plantam ipſam, id eſt folia, caules, & umbellam ſeminibus ſtriatis aſperis onuſtam.

Smyrnium. A natali loco nomen eſt adeptum. Hujus duæ dantur ſpecies; Prima major radice innititur craſſa, foris & intus alba, odorata, acri, cum quadam amaritudine. Caules producit farctos, pluſquam cubitales. Folia apii paluſtris ampliora, atroviren-tia, ſupra terram ſub exortum ſparſa, ter tripartita pediculis ſeu petiolis ſuis innaſcuntur, antequam cauleſcere incipiat planta ipſa. Flores caulium cubitalium (plus minuſve ſecundum ſolum cui committitur) ſummis faſtigiis, ex petalis 5. albis conflati inſiſtunt. Semina craſſa, nigra, ſtriata, ſeu anguloſa & parùm rugoſa, ſolida, duplo omnium prædictarum ſuæ claſſis ſeminibus craſſiora, majoraque, binatim ſibi invicem adhærent; parte qua junguntur curva; atque eo ipſo nomine à cæteris ſuæ Gentis cognitu facile eſt Smyr-

nium,

nium. Secunda hujus ſpecies à priore notu facillima, propter radicem quam in terram anno primo poſt germinationem demittit napiformem, ſecundo aliquando. Inſuper notandum, quod mire ludat natura in hujuſce foliorum appoſitione: prima enim folia, quæ edit per terram ſtrata, plurifariam apii paluſtris ritu altiuſcule ſunt inciſa; quæ immediate ex radice pronaſcuntur in ambitu ſunt ſerrata; quæ autem ramuſculorum divaricationibus ſubſunt, circinatæ ſunt rotunditatis, perfoliatæ foliorum inſtar, à caule ramiſque tranſaddacta, ſeu transfoſſa. Semen fert fuſcum, ſeu ſubnigrum, ſubrotundum, Braſſicæ majoris ſemini par. Inter omnes *Umbellas* ſimilem huic reperire non licet, propter mirandam variationem foliorum inferiorum per terram ſtratorum, & ſuperiorum caulium, ſeu ramorum alas infrà amplectentium, forma acetabuli in Periclymeno. Semina utriuſque, & majoris, & hujus, tribus ſtriis, ſeu carinis eminentioribus, ſulciſque depreſſioribus afficiuntur, ſuntque nigra, rugoſa, calida, & valde aromatica.

Locus & tempus.

Provenit prius in Inſulis adjacentibus potentiſſimæ & florentiſſimæ illi Inſulæ, ubi nos primo aëra hauſimus Magnæ Britanniæ. 2dum ex Inſula Creta ad nos delatum.

Nomina.

Prius dicitur Smyrnium, Matth. Lug. Cam. Petroſelinum Alexandrinum, Trag. Hippoſelinum, Fuch. Dod. Hippoſelinum, ſeu Smyrnium vulgare, Park. Smyrnium ſemine magno nigro, ſeu Macerone, J. B. 2um Smyrnium Creticum, Matth. Lugd. Cam. Ger. Park. Smyrnium Amani montis, Dod. perfoliata altera, Lugd.

Temperamentum & vires.

Primum calidi & ſicci eſt temperamenti. Angelicam, & liguſticum acrimonia & fervore, vique expulſiva antecellit; quod ad cætera parium ſunt facultatum. Vide Ioh. Bauh. pag. 124. Tom. 3. Part. 2. col. 1. qui ibidem diffuſe de uſu Smyrnii veterum agit. De ſeminibus ſtriatis majoribus prædictarum umbellarum conſule Tabulam generalem iconum ſeminum M m Nn Oo Pp Qq Rr Sſ. De foliis lobatis umbellarum hujus membri vide Tab. icon. 4. ubi leviſticum & aſtrantia adinſtar cæterarum omnium umbellarum lobatarum hujus membri offeruntur.

UMBELLÆ LOBATÆ MINORES, ſemine ſtriato minore donatæ.

Siſarum. ☉

Pimpinella ſaxifraga
- *Major, Tragoſelinum majus, Tab.* ☉
- *Major altera, degener.* ☉ ♾
- *Minor.* ☉
- *Minor criſpa, Tragoſelinum petreum Tab.* ☉

Siſon. ☿

Sium
- *Terreſtre, ſeu ſegetale.* ☿
- *Aquaticum*
  - *Latifolium.* ☉
  - *Anguſtifolium.* ☉
  - *Ad alas floridum.* ☉ ♾
  - *Rugoſis foliis multifidis & dentatis.* ☉
  - *Pumilum Ferulaceis foliis.* ☿ ♾

Expli-

Explicatio Tabulæ ſuperioris.

Siſarum inter *Umbellas* lobatas, ſemine minore ſtriato ditatas, locum vendicabit primum; quodque notatu dignum, ipſumque à cæteris ſuæ familias diſtinguit, radices habet carnoſas, ex uno capite plures, verſus terræ ſuperficiem pendulas, teneras, fragiles, cortice tenui pallidoque obductas, pulpa candida, digitali craſſitudine, pedales, aliàs breviores, ſapore dulci, aromatico, & ſatis grato. Frequenter in culina per hiemem expetuntur, & butyro, aceto, pipereque frixæ, & menſæ appoſitæ, quadrageſimali tempore cum deliciis manduntur, atque paſtinacæ latifoliæ Germanicæ præferuntur, & propter majorem ſuavitatem in cupediis pluris habentur. Foliis lobatis, minoribus, glabris, nervo medio ex adverſo adhærentibus, & ſemine minore ſtriato, ſed præcipue radicibus prædictis, inter cæteras hujus membri ſubalterni umbellas facile diſcernitur ſiſarum.

Locus & tempus.

Siſarum ſponte in Gallia Narbonenſi provenit, teſte Lob. Floret & ſemen perficit media æſtate.

Nomina.

Siſarum, Dod. Trag. Lob. Siſer, Matth. Cord. Geſn. Cam. Siſer vulgare, Park. Siſarum multis, J. B. Siſarum Germanorum, C. B. P.

Temperamentum & vires.

Siſarum eſt temperate calidum & humidum. Radices facile concoquuntur in ſtomacho, nutriunt mediocriter, excitant ad venerem, nec ſunt pravi ſucci, flatulenti tamen aliquid poſſident, promovent urinam.

Pimpinella ſaxifraga. Sic dicta ab effectu authoribus, Nobis autem *Umbellifera* ab eſſentiali nota, ut diſtinguatur à pimpinella ſanguiſorba (authoribus ab effectu ſic dictâ, nobis ſpicatâ, de quâ ad calcem *Umbellarum* dicemus,) quæ quidem eſt *Umbella* à diſpoſitione foliorum lobatorum, ſed ſpicâ recedit à recta regula *Umbellarum*, ab initio hujus tractatus poſita, cum nec flores nec ſemina bina habeat, more *Umbellarum* proprie à nobis dictarum; ut prolixius poſtea ſuo loco, de Pimpinella ſanguiſorba diſcutiemus.

Pimpinella ſaxifraga major. Eſt *Umbellarum* lobatarum ſemine ſtriato minore donatarum prima. Coſtam obtinet mediam pedalem, aut ſemipedalem, pro terræ fertilitate aut ſterilitate; cui hinc inde è regione adnectuntur plurimi lobi, uno coſtæ extremum claudente, quod omnibus hujus ſortis eſt familiare & vulgare. E centro pediculorum exurgit caulis bipedalis, aliquando tripedalis, in cujus faſtigio poſt flores evanidos, ſingulis radiis (aliarum *Umbellarum* omnium more) innaſcuntur bina ſemina minora, ſtriata, brevia, quæ tamen, comparata cum claſſis ſuæ cæteris, ſunt majora; quin & ipſa planta quoad omnes partes ſuas major eſt, foliaque majora, magiſque ſerrata, excepto degenere poſſidet. Altera eſt major etiam ex prioris ſeminis ſatione degener; in omnibus priori accedit, niſi quod folia habeat magis diſſecta ſeu laciniata; unde apte ſatis à nobis major altera degener dicitur. Tertia minor, cujus folia ſunt è regione conjugatim ſeu lobatim diſpoſita ſecundum coſtam, ſeu nervum medium, uno pariter extremo annexo. Hujus folia ſunt Pimpinellæ ſanguiſorbæ minoris foliis adeo ſimilia, ut vix ac ne vix quidem, ab invicem (antequam cauleſcant & flores expan-

dant) diſcerni queant niſi à Botanices peritiſſimis ; unde verſiculus antiquus inter Botanicos uſurpatus, Pimpinella pilos Saxifraga non habet ullos. Hujus minoris datur & altera etiam varietas, cujus folia ſunt plurifariam diſſecta, ſuntque magis incana, & quaſi cinere obducta, quæ, ſub exortum lobatim, ſeu pinnatim, pariter rachi, ſeu coſtæ mediæ adhærent, etiamſi cauleſcente planta, tenuius diſſecantur : unde à Theod. Tabernemontano apte ſatis Tragoſelinum petreum, ſeu criſpum dicitur. Quicunque hanc criſpam minorem à priore minore degenerem dixerit (prout in majore ſupra à nobis dictum) per me non ſtabit ; quandoquidem hæ duæ (an ſpecies diſtinctæ, an varietates, parvo diſcrimine refert) proveniant in collibus aridis, minime herbidis. Nos obſervavimus prioris minoris varietatem, cujus lobi fuerunt profundius ſerrati, quam in vulgari prius à nobis citato. Hoc me movet ad concluſionem hanc faciendam, omnes ex eodem ſemine deciduo ſubinde variare ; obſervabis inſuper quod quamvis & majoris degeneris, & hujus minoris criſpæ, folia ſint diſſecta & laciniata, ludente ſic natura, conjugatim tamen petiolis adhærent nervo foliorum. De foliis, earumque forma, conſule Tab. Iconum. 5. ubi omnium quatuor prædictarum *Umbellarum* ſingulatim proponuntur folia.

Locus & tempus.

Pimpinella Saxifraga maj. in ſylvis humidis, & umbroſis paſſim provenit. 2da Altera major ex ſatione ſeminum prioris Lobati vulgaris, in hortis cultis degener provenit. Minor, & minor altera criſpa, promiſcue in collibus aridis & ſiccis ubique proveniunt. Florent omnes media æſtate, atque verſus ejuſdem finem ſemina ſua perficiunt. Nota quod nos propter omnimodam conformationem in ſeminibus ſtriatis, & magnitudine æquali, omiſimus (ex propoſito) exhibere, aut ſculpenda dare ſemina in Tab. Generali ſeminum congenerum in hoc membro contentarum umbellarum.

Nomina.

Prima Pimpinella Saxifraga major umbella candida, C. B. P. Saxifraga magna, Dod. Saxifraga hircina major, J. B. Park. 2da altera major degener, nobis ſic dicitur. 3ia Pimpinella Saxifraga minor, nobis ; etiam dicitur Saxifraga hircina media J. B. apud quem melior ejus effigies obſervatur. Pimpinella minor, Fuch. Tragoſelinum minus, Tab. 4ta minor criſpa, nobis, Pimpinella Saxifraga hircina minor, Park. Saxifraga hircina minima, Pimpinella criſpa, Tragi, J. B. Saxifraga parva, Dod. Tragoſelinum Petreum, Tab. Hæc radice, caule, flore, ſemine, odore, ſapore, plane ſimilis eſt minori vulgari prædictæ, hoc ſolo nomine à priore differens (ut dictum) quod folia habeat minutius per ſegmenta diſſecta, ac ſerrata ; atque ſic facile diſcernitur à Pimpinella minore, ſeu tertia, à ſanguiſorba ex guſtata radice foliiſve pariter diſtinguitur. Haſce duas degeneres à ſapore, non obſtante luſu hujuſmodi naturæ, Pimpinellas Saxifragas eſſe concludere facillimum erit.

Temperamentum & vires.

Pimpinella Saxifraga eſt temperamenti calidi & ſicci. Uſus ejus frequens ad ſudores eliciendos. Tormina ventris ſedat, calculum & Menſtruorum retentionem ſanat. Eximium eſt præſidium contra ictericos, hydropicos. Iis qui anguſtiam præcordiorum ſentiunt, valde confert. De cæteris ejus facultatibus conſule Joh. Bauh. Tom. 3. Part. 2. cap. de Pimpinella Saxifraga hircina.

Iſon. Umbellarum in Tabula prædicta contentarum tertium vendicabit locum. Hujus lobi, ſeu pinnæ ſunt in ambitu ſerratæ, ut in ſiſaro, coſtis mediis (quibus annectuntur conjugatim folia) per terram ſtratis appoſitæ. Inter pediculos foliorum ſeſe erigit caulis ramoſus, cubitalis, & ſeſquicubitalis, in cujus faſtigiis proveniunt plurimi floſculi albi, aliarum *Umbellarum* more, quibus decidentibus, ſingulis ſuccedunt binatim ſemina ſtriata, brevia, ſimul juncta, quæ omnium *Umbellarum* (pyrethro excepto) ſunt fervidiſſima : unde in officinis Germaniæ amomum dicitur. Qua nota facile à cæteris ſuæ ſortis diſtinguitur : à ſemine ſcilicet acri, ac aromatico.

Locus

Locus & tempus.

Ad radices ſepium, & foſſarum margines ſponte provenit, & in locis humectis, in aggeribus foſſarum circa Blæſas, Pariſios, & Londinum, & paſſim alibi. Floret verſus finem æſtatis, ſemenque paulò poſt perficit.

Nomina.

Siſon, Tab. Cam. Lugd. Sinon ſive Siſon Cordi in Dioſcor. petroſelinum Macedonicum, Fuch. Siſon vulgare, ſeu amomum Germanicum, Park. Siſon, ſeu amomum officinarum, J. B. amomum Germanicum, Trag.

Temperamentum & vires.

Siſon calidum & ſiccum eſt in 3^io gradu. Lienis obſtructiones tollit, menſes provocat, urinam cit, digeſtionem adjuvat.

Sium. Quàm proxime priori accedit quoad diſpoſitionem foliorum, eſtque duplex, ratione loci, terreſtre unum ſeu ſegetale, alterum aquaticum. Terreſtre conſtat lobis, ſeu pinnis dilutè virentibus, aliquatenus (ſub exortum) cumino capitulo globoſo accedentibus; eſtq; planta bipedalis in arvis humidis ſegetibus conſitis, & ſecus ſepium foſſarumq; humidarum margines proveniens, quin & eandem foliorum appoſitionem cum Sio aquatico obtinet. Optime ſium terreſtre à Janſono in Gerardum dicitur, cum nunquam in aquoſis reperiatur. Totâ plantæ facie, odore, & ſapore, ſeſe ſium declarat: quare minus apte ſelinum ab authoribus hucuſque nuncupatur, cum nec diſpoſitionem foliorum, nec ſaporem, nec odorem ſelino, apiove convenientem habeat, ſed Sio; ideoq; Sium terreſtre aptius appellandum judicavimus in Tab. noſtris cognationis & affinitatis.

Locus & tempus.

Natales ſupra indicavimus. Floret verſus finem auguſti, ſemen paulo poſt perficit.

Nomina.

Sium terreſtre Janſono in Gerardum appoſitè ſatis denominatur. Selinum ſii foliis, Ger. Fig. & ſelinum ſii foliis, Park.

Temperamentum & vires.

Calidi & ſicci eſt temperamenti, eiſdem pollens viribus quibus & aquaticum.

Sium aquaticum. A locis in quibus provenit, à priori terreſtri nullo cum negotio diſtinguitur; eſtque quintuplex. Fluviatile quadruplex; quorum primum eſt latifolium majus, & bicubitale, vel tricubitale, latioribus & longioribus pinnis ſerratis ornatum. *Umbellas* in ſummo gerit albas, majores, & ſemina ſtriata majora. 2um Anguſtifolium foliis minoribus anguſtioribus, pinnatim etiam è regione diſpoſitis, ſerratis, fortaſſe idem cum priore, à quo ſola magnitudine partium differt. 3um ad alas floridum prioribus duobus multo humilius, & ad ſingulas alas caulium procumbentium, & aquis innatantium, *Umbellas* gerit florum candidorum, (fere ſine pediculis, ut in apio vulgari) quibus deciduis ſuccedunt ſemina ſtriata, brevia, prædictorum ſeminibus minora. 4um Pumilum foliis ferulaceis tenuiſſimè diſſectis. Omnium eſt minimum, vix palmarem excedens altitudinem. Folia habet ferulacea, ſeu fœniculacea, craſſa, biuncialia, aut triuncialia. Cauliculos edit parum, aut nihil palmum ſuperantes, in quorum faſtigiis naſcuntur floſculi albi, quorum ſingulis deciduis ſuccedunt bina ſemina, minuta, ſtriata, aliarum hujus generis *Umbellarum* more. Datur & 5um non in fluviis

viis aut fontibus, rivuliſve proveniens, ſed in ſtagnantibus aut paludoſis locis. Hujus folia ſunt rugoſa, oblonga, ſerrata, per plures lobos diviſa, in margine dentata, è regione pediculis ſuis pendentia, quæ caulibus apponuntur bipedalibus aut tripedalibus. In ſummis caulium cimis flores, & ſemina, priorum floribus & ſeminibus (in omnibus) ſimilia ſunt.

Locus & tempus.

Priora duo in fluviis & fluviolis proveniunt. 3um ad alas floridum ibidem & in fontibus & aquis fontanis. 4um minimum, ſeu puſillum ad fluvii dicti Couſon (intra ſepta Regiæ Chambort) margines conſpicuum nobis fuit, anno 1659. nec hucuſque alibi nobis apparuit. Ultimum, ſeu 5um. in paludoſis & ſtagnantibus aquis communiter reperitur, nunquam autem idem in fluentibus aquis nobis cernere licuit. Sub finem æſtatis florent omnes; ineunte Autumno, aut paulo poſt, ſemina ſua perficiunt.

Nomina.

Primum dicitur ſium maximum latifolium, J. B. Sium Dioſcoridis, ſeu paſtinaca aquatica major, Park. 2um Sion Dod. Sium medium, J. B. Sium minus alterum, Park. 3um Sium ad alas floridum, ſeu repens, umbellis ad geniculos diſpoſitis, nobis ſic dictum. 4um pumilum foliis ferulaceis, nobis etiam dicitur. 5um Sium foliis rugoſis, trifidis, ſeu multifidis, dentatis, nobis. Sium majus alterum anguſtifolium, Park. ſium alterum, Dod. alterum oluſatri facie, Lob. cicuta aquatica Geſn. J. B.

Temperamentum & vires.

Sium eſt excalefacientis facultatis, guſtu odoratum eſt. Crudum coctumque eſu calculos (teſte Dioſcoride) conterit & expellit. Comeſtum etiam dyſentericis utile. De foliis lobatis trium umbellarum ſii ſcilicet ſupra deſcriptarum, conſule Tabulam Iconum 5.

UMBELLÆ FOLIIS PLURIFARIAM DIVISIS, Semine ſtriato majore donatæ.

- *Seſeli*
  - *Frutex, Æthiopicum.* ⊙
  - *Herba,*
    - *Pratenſe.* ⊙
    - *Montanum pannonicum 1. Cluſ.* ⊙
- *Cicuta*
  - *Latifolia fœtidiſſima.* ⊙
  - *Major.* ♆
  - *Minor.* ♆
  - *Paluſtris tenuifolia.* ♆
- *OEnanthe*
  - *Maxima ſucco viroſo cicutæ facie, Lob. J. B.* ⊙
  - *Apii folio*
    - *Caule*
      - *firmiori.* ⊙
      - *flexuoſo & fiſtuloſo.* ⊙
  - *Anguſtifolia.* ⊙.
  - *Milleſolii aquatici foliis, nobis.* ⊙
- *Crithmum*
  - *Marinum.* ⊙
  - *Spinoſum.* ⊙

Explicatio Tabulæ præcedentis.

SUccedit tertio loco enumeratio, & explicatio *Umbellarum* foliis plurifariam divi-ſis, & ſemine ſtriato majore donatarum: quarum folia, nec ſunt ferulacea, nec lobata, ſed multifariam diviſa; id eſt, foliola pediculis adhærentia non ſunt tam tenuiter diviſa, aut diſſecta, quam *Umbellæ* ferulaceis prædítæ foliis, ſed multo magis inciſa & diviſa, quam quæ pinnatim, ſeu lobatim diſpoſita ſunt; ergo medio modo inter utrumque ſe habent. Hæ ſunt duplices, ſecundum magnitudinem ſeminum, & aliarum partium; nempe vel longiori & craſſiori ſemine prædítæ, aut breviore & tenuiore ſemine donatæ. De illis primò, de his ſecundò dicemus.

S *Eſeli*. Eſt vel frutex, vel herba. Fruticem, ſeu potius ſubfruticem hunc, lignea conſtantem ſubſtantiâ, licet non habeat folia multifariam diviſa, (reliquarum *Umbellarum* hujus ſubalterni generis more) tamen quia flores, & ſemina *Umbellatim* diſpoſita, ſtriata, majora fundit, ejuſdem formæ, odoris, & ſaporis cum aliis ſeſelion ſpeciebus, inter congeneres collocavimus. Hoc paſſim in pluribus aliis præſtare cogimur, ut in diviſione ſuperiore. V. g. Sium foliis ferulaceis, propter omnimodam cum reliquis omnibus ſiis, folia lobata gerentibus, in partibus nobilioribus, odore, & ſapore, conformitatem, eiſdem adjunximus: idem de aliis obſervabis. Quin & ſeſeli prædictum à cæteris ſequentibus præcipue hoc duplici nomine facile diſtinguitur, primo quod ſit frutex, ſecundò quod perpetua fronde vireat. Folium producit integrum, nulla ex parte ſciſſum, nec ſerratum, quod tamen in aliis omnibus ferulaceis ſeu *Umbelliferis* contingit. Pediculus folii geniculos cingit, quod eſt inſtar umbelici oblongum, cavum, ut in pereclymeno. Quoniam vero caulis folia permeare videtur, quidam vulgo perfoliatam vocant.

S *Eſeli*, herba. Vel eſt, pratenſe, vel montanum, 1^mum^ pratenſe. *Umbellifera* eſt planta ſemine ſtriato, majore ornata, cujus folia ſunt multifariam diviſa; quæ ſi contrectentur, gravem emittunt odorem. In omnibus pratis humidis ſatis eſt obvium, 2^dum^ Montanum pannonicum 1. Cluſii. Hujus folia ſunt plurifariam diſſecta cicutæ ritu, ſemina breviora, & craſſiora prædicti ſeminibus. Ejus datur & alia ſpecies, ſeu varietas, cujus folia multo tenuius adhuc ſcinduntur. Omnium ſeſeleon floſculi ſunt lutei, aut ex luteo herbacei, petalis reflexis donati.

Locus & tempus.

Seſeli frutex, Æthiopicum, in aridis & neglectis circa Monſpeſſulum provenit, pedalis & ſeſquipedalis altitudinis, at in hortos tranſlatum ad bicubitatem & tricubitalem aſcendit altitudinem. Seſeli herba, pratenſe, in pratis & ad margines vinearum, ſylvarum humidarum, & in aliis humectis locis copioſè provenit. Montanum pannonicum 1. *Cluſ. ejuſque altera ſpecies foliis tenuioribus, in montibus Hungariæ naſcitur. Florent æſtate, ſemina perficiunt Autumno, omnes hæ ſeſelion ſpecies.*

Nomina.

Seſeli frutex, Æthiopicum, Dod. Ger. Park. Æthiopicum, Lob. ad. Tab. verum, Lugd. Cam. Æthiopicum, fruticoſum folio pereclymeni, J. B. 2^dnm^ ſeſeli herba, pratenſe Monſpelienſium, ad. Lob. Lugd. Cam. pratenſe forte ſilaus Plinii, C. B. P. 3^ium^ montanum pannonicum 1. *Cluſ. Hiſt. montanum cicutæ folio glabrum, C. B. P. Park.*

Temperamentum & vires.

Seſeli calidum & ſiccum eſt. Stranguriam adjuvat, difficultatem ſpirandi tollit, menſes, ſecundinas, fatumque educit. Cùm radix tùm ſemen vino pota flatus diſcutiunt, inteſtinorumque dolores ſedant, ſi contrita & in pulverem redacta, vino miſceantur, & bibantur.

Cicuta. Pro nota generica (qua à cæteris ſuæ ſortis in hac Tabula contentis diſtinguitur) viroſum habet odorem. Eſt autem vel maxima, ſeu latifolia fœtidiſſima, vel tenuifolia. Prioris folia ſunt latiora, plurifariam diſſecta, & ſerrata, in margine pinnatim adhærentia pediculis longioribus; atque alii petioli minores cum lobis, alternatim pediculis, ſeu petiolis, brevioribus apponuntur. Caules edit 4. pedes altos, fiſtuloſos, cavoſve, nodis, ſeu geniculis diſtinctos, in quorum ſummis *Umbellæ* ſunt luteis floribus oneratæ, quorum ſingulis deciduis ſuccedunt bina ſemina curva (hoc illi cum Smyrnio ſolo inter *Umbellas* eſt commune) ſtriata, duplò reliquarum ſuæ ſortis ſeminibus majora, in quorum ſingulis conſpiciuntur ſtriæ altiores, & ſulci profundiores. 2da eſt major domeſtica, paſſim ſecus ſuburbiorum aggeres foſſaſque naſcens; caule eſt bicubitali, tricubitali, aliquando multo altiori, maculis fuſcis conſperſo. Viroſum & maxime injucundum odorem caput impetentem contrectata ejus folia eructant. Flores ſunt in *Umbella* albi. 3ia minor adeo apium hortenſe ſeu ſativum refert, ut ab ineptis domeſticis, pro eodem in hortis (in quibus ſponte ſæpe provenit) colligatur, & eſui exhibeatur; unde Trago non inepte petroſelini dicitur vitium. 4ta eſt paluſtris, in paludoſis tam ſtagnantibus quam fluentibus aquis proveniens, nunquam in ſicco. Foliis eſt tenuiter diſſectis, caulibus flexuoſis, bipedalibus & tripedalibus, geniculatis, in multos ramulos ſparſis, adhærentibus, in quorum cimis ſunt plurimi floſculi albi pentapetali, quibus fatiſcentibus ſuccedunt ſemina ſtriata, oblonga, multo cæterarum hujus ordinis ſeminibus tenuiora & longiora, binatim (aliarum *Umbellarum* more) juncta, adeo arcte ſibinvicem adhærentia, ut poſt multos annos exſiccata, non facile ſeparari poſſint, niſi ope acus pungentiſſimæ; nec frictu digitorum in palmam manus ab invicem diſjungi poterant, quamvis in multos annos in promptuario noſtro ſeminario ejuſdem ſemina pyxidi incluſa aſſervavimus. Hoc nos errare fecit in præludiorum noſtrorum Botanicorum, pag. 371. Palinodiam canimus. Dum beneficio acus, ſeminum, ſtriarum, & ſulcorum numerum inire cuperemus, acum pungentiſſimam in centrum ſeminis, in quo eſt germen, addigentes, ſponte bina ſemina diſtincta, parte qua junguntur, cava apparuere. In omnibus hujuſce ſeminibus hoc obſervare licet admovendo acum, ut ſupra monuimus.

Locus & Tempus.

Prima eſt cicutaria latifolia fœtidiſſima, quæ naſcitur in Pelaponeſo. 2da Domeſtica paſſim ſecus pagorum, oppidorum, ſuburbiorumque aggeres, foſſaſque. 3a in ſylvis humidis & hortis, ſeu viridariis, ſponte ſine ſatione provenit. 4ta in paludoſis, & aquis ſtagnantibus paſſim reperitur. Florent omnes ſub finem æſtatis; ineunte Autumno colligi poſſunt ſemina.

Nomina.

Prima, cicutaria latifolia, fœtidiſſima, Lob. Hiſt. Lugd. Cicuta latifolia, Ger. Flg. cicutaria fœtida, Tab. maxima, Park. deſc. ſeſeli Peloponeſiacum recentiorum, Park. Peloponenſe Matth. ſive cicutaria quorundam, J. B. 2da Cicuta major, C. B. P. vera, Geſn. Hort. cicutaria vulgaris, Cluſ. vulgaris major, Park. 3ia cicuta minor petroſelino ſimilis, C. B. P. petroſelini vitium, Trag. cicutaria minor ſive fatua, Park. 4ta cicutaria paluſtris tenuifolia, C. B. P. Park. cicutaria paluſtris, Lob. Tab. Ger. Phellandryum, Dod. Lugd. Phellandryum, vel cicutaria aquatica quorundam, J. B.

Tem-

Temperamentum & vires.

Cicuta frigidi habetur temperamenti, nec ſine mortis præſenti periculo ejus folia intus adminiſtrantur; unde Athenienſes Socratem è medio tollendum (exhibito ejus ſucco) curarunt, quod ſiniſtras de eorum Diis haberet cogitationes. Si quis folia pro ſelini foliis, aut radicem loco paſtinacæ radicis comederit, bibat acetum, & curabitur. Hæc Tragus. Vide plura apud Joh. Bauhinum, qui prolixius de cicutæ viribus agit. pag. 178. & 179. Tom. 3. Part. 2.

OEnanthe. Notam genericam, quâ ab omnibus *Umbellis*, foliis plurifariam diviſis, & ſemine ſtriato majore donatis diſtinguitur, hanc habeto, quod ejus radix aſphodeli inſtar radicis ſit multipartita. Ex uno capite plures radices arcte dependent, latiuſque (ſubtus terræ ſuperficem ſcilicet) quam profundius propagantur, tunica ſubnigra contextæ, intus albæ, adeo ut ſingulæ ſingulis fuſis carnoſis aſſimulentur. Hoc in nulla *Umbellarum* integra claſſe reperitur, niſi in hac ſola.

OEnanthe maxima, ſucco viroſo, cicutæ facie. Hæc omnium eſt maxima. Ad altitudinem trium quatuorve pedum, aliquando altius, caules ſuos producit, fuſoſque pœoniæ pares gerit, guſtu acres & ingratos, ſucco lacteo primum, deinde flaveſcente, viroſo, & exulcerante prægnantes. In lutulentis & riguis, ubi paludapium, provenit, cui foliis non abſimilis; ſed rutæ pratenſi ſimilior, unde male à Lobelio denominatur cicutæ facie. Notis prædictis à cæteris infra dicendis facillime diſtinguitur. 2da eſt foliis apii, aut cerefolii; eaque duplex, una major bipedalis planta, caule recto, & firmo, nonnunquam ad cubitalem & ſeſquicubitalem altitudinem aſcendente, donata. Radices ſunt glanduloſæ, longis filis pendulæ, longius quam altius protenſæ, atque his notis à priore & ſequenti varietate diſcernitur; quæ caule conſtat flexuoſo, & fiſtuloſo, ſeu cavo, juncis quodammodo ſimili; pro foliis ſunt pauci, tenues, inanes quaſi pediculi, βάχεες, aut coſtæ, à quibus parva aliquot & anguſta promuntur foliola. In hortis aut locis ſiccis ſata brevior eſt, foliaque terræ proxima, cerefolio ſimilia producit, ſed tenuiora; ſuperiora autem folia, ut ejus, quæ in aquis exit. Radices habet craſſas, parvis ſylveſtribus rapis ſimiles, verum minores & breviores, à quibus ſerpentes exeunt fibræ, ab his vero radiculæ emittentes folia. 3ia eſt anguſtifolia foliis longioribus anguſtis, crithmi, aut peucedani inſtar. Radices habet oblongas, biunciales, & triunciales, ex uno capite plures, quæ ſub exortum graciliores ſunt, inferius craſſeſcunt, fibris à parte craſſiore & inferiore ſeſe demittentibus, quibus ſuccus è terra ad nutritionem totius plantæ attrahitur. 4ta & ultima millefolii aquatici foliis, quæ perperam primò Dalechampio, & poſtea aliis ipſum ſequentibus, daucus pratenſis millefolii paluſtris foliis dicitur; etenim cum dauco proprie loquendo, cujus ſemen debet eſſe hiſpidum, ſeu villoſum, nil habet affine quoad notam eſſentialem, odorem, aut ſaporem.; œnanthen autem ſeſe declarat, ex univerſali ſuâ ſtructura, cum ſapore, tum odore; potiore ergo jure *Umbellam* hanc ad œnanthes claſſem retulimus, ut à nobis dictum, pag. 366. Prælud. noſtr. Botanicorum. Inſuper à radice ejus aſphodeli æmulâ, & ſemine in ſummitate aculeato (ſicut ſunt omnium prædictarum œnantharum ſpecies) ſeſe manifeſtat non eſſe daucum. Porro variæ *Umbellarum* ſpecies ab authoribus, ſub nomine dauci (ut in loco citato docuimus, & ut infra hic docebimus) confunduntur.

Locus

Locus & tempus.

OEnanthe maxima, ſecus oram maritimam, ad oſtium Ligeris, in foſſis humidis, fluxum maris decumanum recipientibus naſcitur; illic quinos aut ſenos pedes excedentem offendimus. Ad ripam Tameſis, & alibi paſſim in Septentrionalibus humidis foſſis, prope fluvios, ſed humilior, provenit. 2da in ſylvis humidis, intra ſepta Regiæ Chambort conſitis. 3ia in pratis aqua frequenter riguis, & humectatis. 4ta in pratis elatioribus, quæ etiam aliquando deſcendit ad convallium prata. Ultima in humidis tam pratis quam ſylvis paſſim in Gallia. Florent omnes ſub finem æſtatis, paulo poſt ſemen ſuum perficiunt, ſtriatum, paulò compreſſum, puſillis aculeis in ſuperiore parte præditum, binis utplurimum. Quibuſdam aliis umbellarum ſpeciebus hoc etiam eſt familiare, at in omnibus ſeminibus ſingulatim ſinguli conſpiciuntur aculei, poſt nutritionem eorum deciduorum.

Nomina.

1a OEnanthe ſucco viroſo cicutæ facie Lobelii ℣. B. at nobis potius apii folio. Cicutæ facie Lob. ad. Park. filipendula 3ia ſeu œnanthe ſelinophyllos, Tab. 2da & 3ia œnanthe, ut à nobis ſupra in Tabula exhibentur, apii olio, caule firmiori, erecto, & caule flexuoſo, procumbente. Vide infra hallucinationes Caſp. Bauhini, aliorumque authorum de œnanthe chærophylli folio, & anguſtifolia, & apii folio, ubi oſtendo ipſum confuſe valde nobis tradidiſſe ſynonima harum omnium. 4ta anguſtifolia, Lob. 5ta œnanthe millefolii paluſtris foliis, nobis. Perperam daucus pratenſis millefolii paluſtris foliis, C. B. P. daucus pratenſis, Dalp. Hiſt. Lugd. vide pag. 366. prælud. noſtr. Botanicorum.

Temperamentum & vires.

OEnanthe temperate eſt calida & ſicca, ideoque aperiens & detergens, ſapore amariuſculo, cum lævi adſtrictione, proinde radices urinam, & arenulas intrinſecus, & extrinſecus uſurpatæ movent, aperiunt obſtructiones, expurgantque meatus urinaros: œnanthes radix trita, redacta in pulverem, & macerata, ex vino pota, ſanguinis ſtillicidio convenit, teſte Dioſcoride, medetur ſuſpirioſis & anhelantibus.

CRithmum maritimum. Cum *Umbellæ* omnes habeat conditiones, jure merito inter *Umbellas* accenſeri debet, nec aptius quam huc reduci poteſt: quippe folia habet plurifariam diviſa, & ſemine majori donata. A ſpiſſis & craſſis ejus foliis trifariam vulgo partitis, & pediculo adhærentibus, in ſcopulis, ſeu rupibus maritimis vegetantibus, & ſalſuginem maris redolentibus (quæ aceto & ſale confici, & menſis hyemalibus pro acetario adhiberi ſolent) notu facile eſt. De ejuſdem mala diſpoſitione à Caſp. Bauhino, vide prælud. noſtr. Botan. pag. 402. & de hallucinationibus Caſp. Bauh. aliorumque authorum infra hic à nobis obſervatis. Alterum, ſpinoſum marinum, caules habet procumbentes, geniculatos admodum. Folia in rariora, ſpiſſiora, & acutiora ſegmenta diviſa; ſemen ſtriatum, majus, binatim junctum, oblonga theca cartilaginea, ſurſum ſpinoſa, obductum habet. Cum nondum capſulam hanc aperuiſſem, unico ſemine conſtare putavi, ſed eâdem ſciſſâ, bina ſemina ibidem latentia, magna, ſtriata inveni. Contrarium in præludiis Botanicis noſtris aſſeruimus, nunc oculatiores, quod ibi dictum de crithmi ſpinoſi ſemine retractamus. Vide infra in hallucinationibus Caſp. Bauh. aliorumque authorum de crithmo.

Locus & tempus.

Copioſe provenit in ſcopulis maritimis, mari armorico objectis, item verſus Occidentem Angliæ oram maritimam, & alibi in ſcopulis maritimis Scotiæ, Hyberniæ, & Norvegiæ naſcitur. Floret verſus æſtatis finem, ſemenque paulo tardius perficit. Alterum, ſpinoſum maritimum, ad oram maritimam Galliæ Narbonenſis provenit. Radices erutas plebecula ibidem eſitat.

Nomina.

1. Crithmum, ſeu fœniculum marinum, minus, C. B. P. Crithmum marinum, Dod. Ger. Crithmum, ſeu fœniculum marinum, ℣. B. maritimum vulgatius, Park. Crithmum & herba ſancti Petri, Dod. Gall. Creta marina Lon. Baticula, quaſi parva batis, Cæſ. 2da dicitur Crithmum maritimum ſpinoſum, Dod. C. B. P. maritimum

thmum ſpinoſum, ſeu paſtinaca marina, Park. Paſtinaca marina ſecacul quibuſdam, & Crithmum ſpinoſum, J. B. Hæc mihi videtur ſpecies diſtincta à crithmo maritimo ſpinoſo prædicto vulgari. Etiamſi ſemine gauderet ſpinoſo, ob imparem foliorum diſpoſitionem paſtinacæ tenuifoliæ accedentium, & à reliquorum duorum foliis diſcrepantium, concludere quivis poterit eſſe à foliis ſpeciem diverſam; ſed ſi ſemine donaretur ſpinoſo (quod nobis non apparet, neque ex deſcriptione Rawolfii, neque ex appendice Dalpii ad Hiſtoriam Lugd.) forte eadem eſſet cum paſtinaca echinophora Apula Colum. cui in omnibus partibus ſuis valde accedit, ex figura exhibita in appendice, Hiſt. Lugd. ſed cum nec Rawolfius, nec Dalechampius, ſeminis ullam faciant mentionem in deſcriptione, nec figuræ appingantur, in dubio relinquimus quo ſit reducendum. Vide hallucinationes Caſp. Bauhini infra à nobis obſervatas in capite de Gingidio.

Temperamentum & vires.

Crithmum calidum & ſiccum eſt. Obſtructiones hepatis & lienis tollit, menſes provocat, calculoſam educit materiam. Semen & radix crithmi in vino cocta & pota, urinæ difficultati, & morbo regio auxiliantur: eſtur crudum & coctum, oleris modo; ejus folia condita muria ſervantur, & præcipui ſunt uſus ad ſtranguriam. Si folia cocta veluti cappares oleo & aceto condiantur, & mandantur pro acetario, gratum ſunt ciborum condimentum. Ventriculo bene faciunt, viſcera ab obſtructionibus liberant, & ciborum appetentiam excitant. De ſeminibus umbellarum in prædicta Tabula contentarum conſule Tab. generalem icon. ſeminum Tt Vu Xx Yy Zz && †† AAA B. CCCD. E. F. G. H. Ejus explicationem quoad folia plurifariam diviſa vide Tab. icon. 6. ubi cicutæ majoris, & maximæ fœtidiſſimæ repræſentatur folium, & œnanthe duplex ſculpitur.

UMBELLÆ FOLIIS PLURIFARIAM DIVISIS, ſemine ſtriato minore & breviore donatæ.

- *Ammi*
  - *Annuum vulgare*, Dod.
  - *Perenne*, nobis. *Ammi quorundam.*
- *Apium*
  - *Sativum, ſeu hortenſe vulgatius*
    - *Latifolium*
      - *planum.*
      - *criſpum.*
    - *Anguſtifolium.*
  - *Latifolium, ſeu hortenſe maximum*
    - *Bauh. in Prod.*
    - *Umbella lutea.*
    - *Degener, foliis longis diſſectis.*
  - *Paluſtre*
    - *Seleri dictum.*
    - *noſtras.*
  - *Semine villoſo, ſeu incano*
    - *Macedonicum.*
    - *Peregrinum* 1. *Cluſ.*

Carum ſeu carui.
Aniſum.
Pyrethrum.

Explicatio Tabulæ præcedentis.

AMmi annuum. Foliis eſt longioribus, ſerratis, ſeu crenatis, flore albo in *Umbellis*; ſemine ſtriato, parvo, amaro, apii paluſtris ſeminum (quoad figuram)

æmulo, nisi quod sit paulo crassius, ammioselinum proinde quibusdam authoribus satis apte dicitur. Folia sunt lobis plurifariam divisis, & in plura segmenta quam sequentis folia, cujus lobi sunt pauciores, terni ut plurimum, atque profundius serræ ad modum secti.

Ammi perenne. *Umbella* reptatu radicum longe lateque in hortis odiosa. Folia in tria (ut plurimum) segmenta serrata, angusta, nonnunquam plura dividuntur. *Umbellæ* satis magnæ, colore albido. Semen gracile, oblongum, striatum. Qua ratione authores quidam cum C. Bauhino eryngiis adscribant non video, cum sit perfecta *Umbella*, ut vel Botanices mediocriter peritis evidenter apparet. Vide pag. 421. prælud. nostr. Botanicorum.

Locus & tempus.

Ammi annuum, copiose in Pictonum arvis segetalibus provenit: quin & prope Salamanticum, teste Carolo Clusio. Ammi perenne copiose etiam inter segetes circa Pictaviam sponte proveniens à nobis repertum.

Nomina.

1. *Ammi annuum, seu vulgare, nobis. Ammi majus, C. B. P. commune seu vulgare, Dod. Cam. Ger. vulgatius, Lob. Park. Ammi vulgare majus latioribus foliis semine minus odorato, J. B. 2um Ammi perenne, nobis. dicitur ammi quorundam Fuchsii, Hist. Lugd. Eryngium foliis serræ similibus, C. B. P. Eryngium. 4. Dod. Crithmum. 4. Matth. Tab. Cam. Crithmum 4. Matth. umbelliferum, J. B.*

Temperamentum & vires.

Ammi calefacit & siccat 3io Gradu, urinam & menses provocat, tormina alvi sedat, cum melle si admisceatur, vibices seu stigmata tollit.

Apium. Odore & sapore, à reliquis *Umbellis* hujus classis, semine striato minore, & foliis plurifariam divisis, distinguitur. 1mo occurrit sativum, seu hortense vulgatius, quod est, vel latifolium, vel angustifolium. Prioris folia sunt vel plana, vel crispa, ludente sic naturâ. Angustifolium montanum, seu tenuifolium, respectu duorum priorum in hortis cultorum, etiamsi sponte in montibus proveniat, cultura devenit hortense, atque expetitur propter radicem hyemali tempore esui porrectam; cumque sit flore herbaceo, seu luteo pallido, facile à reliquis, foliis angustis, & flore dignoscitur. Datur & latifolium maximum hortense, cujus omnes dimensiones sunt majores, præcipue autem ejus semen duplo cæterorum seminibus majus est, teste Bauh. in prodromo. Habemus & alterum *Umbella* lutea, valde prioris novissime dicti æmulum, nisi parvitate seminum, & colore *Umbellæ* herbaceo. Ex præcedentis hortensis latifolii semine, reperitur nonnunquam & degener, cujus folia sunt oblonga, sinuata, in multa segmenta divisa, ludente sic natura, quemadmodum supra in pimpinella saxifraga majore, multisque aliis in immenso vegetabilium Oceano. Aliud est à locis palustribus, in quibus provenit, dictum palustre, seu paludapium; estque duplex, Italicum, seleri dictum, & vulgare nostras. Dealbatum dulcius fit stramine & terra foliis involutis, & ab aëre defensis; hoc etiam præstatur compressis & arcte ligatis ejusdem foliis, arcendo ab ipsis aëra, quod contingit in multis mangonio & hortulanorum industria; ut videre licet in foliis cinaræ, betæ, endiviæ, lactucæ Romanæ, Smyrnii, myrrhidis, & cichorei &c. Imo natura ipsa hoc nobis monstrat in Brassica, & lactuca capitata: folia enim interna squammatim & arcte se invicem amplectentia, & frigidum aerem accedere pro-

prohibentia, ſponte dealbeſcunt, dum folia exteriora & nondum adhuc in ſe complicata (ut Braſſicæ, lactucæ, aliarumque hujus farinæ) ſunt viridia ; propterea quod libero fruantur aëre, qui eſt cauſa viriditatis in omnibus vegetabilibus. Hoc patet in omnibus frumentaceis in antris, & ſpeluncis maritimis vegentibus, à columbis., pipiones ſuos nutrientibus, frequentatis. Apud nos in Scotia, dum in antris per aliquot centenos pedes ſubtus terram penetratis à natura, columbæ gregatim (quæ rupeſtres dicuntur) nidos ſuos in prominentiis ſaxoſis condunt & componunt, pipioneſque avena, hordeo, piſo nutriunt, atque tenellos ſuos hujuſmodi granis, aliiſque plurimis diverſis ingurgitant, quædam præterlabuntur, & in terram decidunt, pullulantque, atque ob defectum aëris, folia omnium conſpiciuntur alba, in obſcuris illis locis latentia. Nec ſine laternis conſpici poterant in antris illis infernalibus ; hiſce enim uti cogebamur, tam ad noſmetipſos conducendos, greſſuſque dirigendos per varios illic meandros, via ſatis ſalebroſa, & crypta abſcondita, quam ad nidos proſpiciendos, pipioneſque tenellos inde extrahendos. Memini me adhuc juvenem hujuſmodi antra ad centenos aliquot pedes penetraſſe, ubi atra nox, tam die, quam nocte ſemper erat, & hujuſmodi frumentacea folia ibidem vulgo ſub pedibus calcaſſe ; alba & omni viriditate exuta. Idem etiam obſervavi in montanis ſylvis verſus Octobrem & Novembrem, ubi aliqui fuerunt loci depreſſiores. Ex agitatione venti, folia ex arboribus decidua, eo compellebantur, atque ab ipſis, gramina, aliæque indiſcriminatim ſtirpes contectæ, remotis foliis incumbentibus, apparuere omnes dealbatæ, nec viriditatem, ſeu priſtinum colorem induunt, quoad penetraverint folia arida, denſe ipſis incumbentia, ut aëra captent. Sed ne longior digreſſio fiat, revertamur ad apium noſtrum paluſtre, Italicum ſelleri, forte corrupto nomine ſeleri ab Italis & Gallis pro ſelino, quod eſt proprium & genuinum nomen tam Græcis quam Latinis uſurpatum. Hoc dum adhuc creſcit, folia dilutius virentia habet quam paluſtre noſtrum vulgare, quod ex mea opinione à cultura & ſatione in hortis contingit. Noſtras, ſeu apium paluſtre, paludapium dictum, majore amaritudine præditum eſt, atque foliis obſcurius virentibus donatur; quicunque unum & idem cultura & mangonio differens, & tantum unius ejuſdemque *Umbellæ* varietatem conſtituerit, illi dabo manus. Sequitur Apium ſem. villoſo, quod vel eſt Macedonicum, à natalibus ſic dictum, vel peregrinum. Illud folia edit tenuius in margine laciniata, per lobos ſuos diſpoſita, quam apium hortenſe vulgare, folia etiam ſerris denſioribus cinguntur, atque cinere quaſi obducta & veluti incana apparent. Quin & caules, & bina ſemina, ſtriata minora, villoſa, incana conſpiciuntur, quibus notis ſpecifice ab omnibus prædictis & ſequenti quam facile diſtinguitur. Ultimum ſelinum peregrinum 1um Carolo Cluſ. ſic dictum, folia habet ſubrotunda, lobatim ſeu pinnatim diſpoſita per intervalla, ſecundum pediculum, ſeu coſtam mediam, ſerrata in margine. Semina producit etiam ſtriata, minora, atque in ſingulis carinis villoſa, ut in Macedonico, ſed fuſca. In villoſitate ſeminum conveniunt, atque hac ratione hæc duo poſtrema ab omnibus præcedentibus enarratis diſtinguuntur: at inter ſe, primò diſſimilitudine foliorum, tam ſtructura quam colore, ſecundò ſeminum villoſorum colore albo, ſeu incano & fuſco. Odore & ſapore ſelino conveniunt, etiamſi ſeminis colore differant. Poſterius hoc collocatur hic cum ſuis congeneribus, ab odore & ſapore ut jam dixi, etiamſi folia inferius ſint pinnatim diſpoſita, & coſtæ mediæ adhærentia, uno ampliore rotundo, ſerrato, extremum coſtæ claudente. Quin & folia non niſi in ſuperiore parte caulium plurifariam ſunt diſſecta ; cum conſimilibus tamen hic collocavi, etiamſi repugnet titulo à nobis aſsignato ſub initium hujus membri. Hoc in aliis ſubalternis generibus contingit, ut monuimus ſuprà de ſeſeli Æthiopico frutice, & pimpinella ſaxifraga, & ſio ferulaceis foliis prædito.

Locus

Locus & tempus.

Apii ſativi natales nos latent. 2um ſeu Criſpum ex Sardinia, ad nos delatum. 3um in montibus tumuliſque ſaxoſis verſus Gratianopolin teſte Lob. 4um & 5um ex Virginia & inſulis eidem adjacentibus advenit in Angliam. 6tum eſt tantum varietas ex ſatione degenerans cujus folia deveniunt longa, ſinuata. 7um ſelleri dictum (corrupte forte proſelini) ab Italis & Gallis, cujus etiam nomenclatura in Angliam delata. Nominetur in Anglia ſelini impoſterum, atque aptius quadrabit ipſi hoc nomen, quam depravata & corrupta vox Gallis & Italis ſelleri aut ſeleri. Provenit ſatum in hortis Italiæ, Galliæ, & Angliæ. Ex ſatione apii paluſtris vulgaris degener, atque ubique locorum prædictorum dealbatum, per totum hiemale tempus, à melioris ſortis hominibus in acetariis expetitur. Macedonicum, ut vult ipſius nomen, ex Macedonia prius allatum fuit. Peregrinum in agro Salmanticenſi ſponte provenit teſte Car. Cluſ. Flores & ſemina omnium perficiuntur verſus æſtatis & Autumni finem.

Nomina.

1. *Apium hortenſe, ſeu petroſelinum vulgo, C. B. P. petroſelinum vulgare ſeu ſativum, Lon. apium hortenſe, Matth. Dod. Lob. Ger. Fuch. Petroſelinum vulgare, Park. petroſelinum vulgo planum, J. B.*

2. *Apium vel petroſelinum criſpum, C. B. P. apium hortenſe criſpatum ad. Lob. Lugd. Hiſt. criſpum vel multifolium, Ger. Tab. petroſelinum criſpum, Cam. J. B. Park.*

3. *Apium montanum folio tenuiori, C. B. P. apium montanum Dalpii, Hiſt. Lugd.*

4. *Latifolium hortenſe, ſeu maximum, C. Bauhini in prodromo. Apium ſativum Anglicanum Colum. petroſelinum majus ſeu virginianum, Park. Hortenſe magnum ſeu Anglicanum quibuſdam, J. B.*

5. *Apium umbella lutea, nobis.*

6. *Apium Degener foliis longis diſſectis, nobis.*

7. *Apium paluſtre, ſelleri aut ſeleni dictum.*

8. *Apium paluſtre noſtras, ſeu officinarum. C. B. P. paluſtre, Matth. Fuch. Hiſt. Lugd. Eleoſelinum, Dod. paludapium, Tab.*

9. *Apium Macedonicum, C. B. P. petroſelinum Macedonicum, Matth. Dod. Lugd. Tab. Ger. Apium ſive petroſelinum Macedonicum multis, J. B. Daucus ſecundus Dioſcoridis, Col. Ultimum apium folio ſubrotundo, C. B. in Prod. peregrinum 1. Cluſ. ſemine hirſuto. J. B.*

Temperamentum & vires.

Apium temperate calefacit & ſiccat, menſes provocat, urinam cit, alvum ſolvit. Hujus radix aperiens eſt, ſemen ejus calidum, ad urinam ciendam efficax, inflammationes ſtomachi deprimit, ab obſtructionibus liberat, hydropicis & ictericis conducit. Vide Tragum, in cæteris. De viribus apii conſule Johannem Bauhinum, pag. 96. Tom. 3. part. 2. & pag. 99. ejuſdem Tom. 3. Part. 2. pag. etiam 101. qui de uſu & viribus apii prolixe ſatis agit à pag. 95 uſque ad pag. 166.

CArum, ſive carui. Ab odore & ſapore ſeminum vel cæcutienti notum. Radicem profert ſingularem, longam, craſſitudine pollicari, & majorem, albam, ſapore aromatico. Caules profert multos, cubitales, ſtriatos & geniculatos, in ramuſculos diviſos. Folia pediculo longo innitentia, ſtaphilini anguſtiora gerit. *Umbellæ* floribus albis, ex quinis petalis cordatis conflatis, conſtant, non ingrato odore. Unicuique flori ſuccedunt bina ſemina oblonga, tenuia, ſtriata. Maſticata ſapore acri & aromatico ſunt.

Locus & Tempus.

Carum paſſim ſponte in arvis Germaniæ reperitur referente Trago. Junio & Julio floret, brevi poſt ſemen ſuum perficit.

Nomina.

Carum Matth. Dod. Lugd. Tab. Ger. Carui ad. Lob. Cæſ. cuminum pratenſe carui officinarum, C. B. P. caros, J. B.

Temperamentum & vires.

Carum flatus diſcutit, concoctionem adjuvat, urinam cit, ventriculo & ori gratum eſt. De carui viribus & uſu, vide Joh. Bauh. pag. 69. & 70. Tom. 3. part. 2.

Aniſum

A*Nisum*. Huius folia inferna longis hærent pediculis, ut plurimum binatim, subrotunda tamen, & serrata, odorata, albicantia; superiora folia sunt tenuiter insecta. Caulis rotundus, concavus, hirsutus, striatus; cujus fastigio innascuntur ramusculi multi, quorum extremis inhærent *Umbellæ* minutis candidisque floribus conflatæ; nec non semina parva striata, colore cinericeo ferme, odore & sapore grato, & palato dulci.

Locus & tempus.

Anisum in Creta, Syria & Ægypto, aliisque Orientis regionibus feliciter gignitur, floret Julio ac Augusto, paulo post semen suum perficit, sed minùs plenum in Septentrionalibus regionibus; est enim ipsius semen magis acerosum, & minus aptum ad extrahendum oleum quam in Orientalibus regionibus.

Nomina.

Anisum dicitur omnibus authoribus.

Temperamentum & vires.

Calefacit & exsiccat, flatus discutit; semen ejus nutricibus lac auget, cum decoctione liqueritiæ, ficuum, Pthysi conducit, &c. Consule Joh. Bauh. Tom. 3. part. 2. pag. 92. & 93. ubi prolixe sententias & veterum & neotericorum docet de viribus anisi. Vide Tabulam generalem iconum seminum 11. 22. 33. 44. 55. & quoad folia consule Tabulam 7mam de apii triplici diversitate, & 8vam de caruo & aniso.

P*Yrethrum* radice constat nigra, brevi, divisa in fibras Mei specie, odorata, amara, linguam non statim exurente, nisi cum plusculum mansa fuerit. Folia fert staphylini sylvestris tenuiora; caulem emittit cubitalem, rectum, levem; *Umbellas* complures in cacumine. Flores fert rubentes; semina compressa, rotunda, figurâ lentis, nigra & ferventia. Hæc ex Cæsalpino. *Pyrethrum* Guillandinus alebat in horto Patavino, cui radices & folia cotulæ fœtidæ, *Umbellæ* quasi centro multis pediculis innixæ, anethi, aut pectinis veneris ritu, flosculis candidis, fervido & amaricante gustu: hæc ex Lob. adversariis. Pyrethrum folia habet cerefolii sylvestris, fervidæ & quasi urentis facultatis, adinstar lepidii. Flores gerit in *Umbella* albos. Radicem habet pollicarem, in plurimas fibras terminantem: florem producit in muscariis prorsus candidum veluti cicuta, semen majus aniso: hæc Tragus. Unde ex descriptionibus supra allatis apparet duplex pyrethrum, unum foliis pastinacæ tenuifoliæ, seu staphylini flore rubenti, semine compresso lentis instar, quod refertur ad caput 7mum inter congeneres semine membranaceo, compresso, rotundo, & foliis plurifariam divisis. Alterum est foliis cerefolii & semine striato minore, majore anisi, quod nos hic collocamus. Datur & aliud Gesneri, cujus folia sunt anethi foliorum æmula, ut in Dioscoridis exemplaribus legendum sit σκιάδων τροχοῖδες, id est rotundæ circinitatis, non τριχοῖδες, id est capillacea *Umbella*. Hujus seminum non fit mentio apud authores, ac proinde in dubio relinquimus: si sit semine striato, minore præditum, ad congeneres, sub initium hujus tractatus contentas, referatur; si semine membranaceo, subrotundo afficitur, inter congeneres, anethum, panax, asclepium, &c. in initio cap. septimi collocetur.

Locus & tempus.

Pyrethrum copiose in Apenninis montibus reperitur. Floret versus æstatis finem, & paulo post semen suum perficit.

Nomina.

Pyrethrum umbelliferum, C. B. P. verum Matth. Lugd. J. B. Pyrethrum Dioſc. Cam.

Temperamentum & vires.

Pyrethri ſemen eſt calidum & ſiccum ad tertium uſque ordinem; hujus radix cum melle ſumpta adverſus epilepſiam, apoplexiam, & contra omnes inveteratos & frigidos cerebri morbos valet. Commanſa pituitæ copiam ex cerebro elicit, unde ſalivaris à Latinis dicta. Dentium immanes cruciatus ſedat, ſi aceto cocta & eodem percolato os colluatur. Oleum ex recenti radice eductum mirifice dentium dolori confert, præcipue ſi ſemina ſtaphidis agriæ contrita admiſceantur radicibus pyrethri pariter tritis, atque ſacculo indantur, & contineantur intra dentes ad aliquod ſpatium; etiam in aceto ſi coquantur (atque idem ſi adhuc calidum in ore retineatur) eundem habent effectum.

QUarto loco agetur de *Umbellis* ſemine ſtriato donatis, quæ nec folia habent ferulacea, nec lobata, nec plurifariam diviſa, ſed peculiare aliquid imitantia. Propter ſemen ſtriatum, binatim junctum, quo gaudent perfoliata & bupleurum, huc ad calcem conſimilium rejecimus. *Umbellas* ſeſe declarant notis ad *Umbellas* requiſitis. Quam male à Caſparo Bauhino, aliiſque authoribus, ab *Umbellis* disjunguntur, Botanicorum in arte verſatorum legentium & perpendentium noſtra præludia Botanica, pag. 399. eſto judicium.

UMBELLÆ FOLIIS QUID PECULIARE referentibus, ſemine ſtriato donatæ.

- *Perfoliata*
  - *Perennis* { *Alpina anguſtifolia major, C. B. P.* ☉
  - *annua*
    - *vulgatiſſima.* ☿
    - *longioribus foliis, J. B.* ☿
    - *minima Bupleuri folio, Col.* ☿.
- *Bupleurum*
  - *Perenne* { *Latifolium, Tab.* ☉ ; *Anguſtifolium, Dod.* ☉
  - *Annuum minimum, Col.* ☿

Explicatio Tabulæ præcedentis.

PErfoliata. Eſt *Umbella* ſemine ſtriato, minore donata; ſic dicta, quod ejus caulis ſit ita circumvallatus foliis, ut eodem illa non ſolum videantur perforari, ſed ſunt perforata. Prima perennis Alpina, cujus folia ſunt oblonga, palmaria; quin & amplitudine ad perfoliatæ ſiliquoſæ folia accedunt. Flores in *Umbellis* luteis, foliolis rotundis inferiùs obvallantur. Semina oblonga, ſtriata, nigra, majora quam ſunt perfoliatæ vulgatæ ſemina. Radices ſunt craſſæ, perennes. 2da annua, vulgatiſſima; caulem habet cubitum aut ſeſquicubitum altum, levem, teretem, ſtriatum, geniculatum, concavum, in multas alas diviſum. Folia producit lævia, viridia, ſubrotunda, quæ tranſadigunt caules vel rami, ſuſtinentes in ſumma parte floſculos luteos *Umbellatim* digeſtos, quorum ſingulis deciduis, ſuccedunt ſemina bina ſimul juncta, pulla, ſeu ſubnigricantia, multo

multo pluribus ſtriis & ſulcis planis ornata, quam ſequentis majoris, de qua jam dicemus. Vulgaris hujus habetur & alia ſpecies, cujus folia ſunt multo longiora, latiora; caules in multo plures ramos reflexos divaricantur, atq; ſeminibus duplo prædictæ perfoliatæ vulgaris majoribus, rugoſis & valde aſperis, non nigris, ſed ſubfuſcis; tribus carinis etiam rugoſis in dorſo, ſeu ſeminis exteriori parte ornatur; concava etiam pars eſt rugoſa, atque hoc nomine à vulgari quam facillime diſcernitur. 3^tia Annua perfoliata minima Bupleuri folio Col. Plantula hæc radice innititur tenui, puſilla, ex qua folia oblonga, anguſta, nervoſa, bupleuri anguſtifolii modo oriuntur, bina, inordinatim diſpoſita. In ſummo caule *Umbellam* gerit luteam, foliolis ſtellæ modo ipſam radiantibus; ut videre eſt in prædictis perfoliatæ ſpeciebus. Singulis floribus luteis ſuccedunt bina parva ſemina ſtriata, ſubnigra, lævia.

Locus & tempus.

Prior perfoliata in Alpibus, & montibus altis provenit. Annua vulgatiſſima, & altera ejus ſpecies in ſegetalibus paſſim vigent arvis. Minima bupleuri folio Colum. in collibus aridis minime herbidis circa Blaſas, prope cellam Eremitarum non longe ab oppido. Florent, & ſemen perficiunt menſe Auguſto & Septembri.

Nomina.

Prima perennis, dicitur perfoliata Alpina, Anguſtifolia, major, C. B. P. 2da annua vulgatiſſima, ſeu arvenſis, C. B. P. perfoliata major Trag. vulgaris, Ger. Park. vulgaris annua, J. B. altera hujus ſpecies dicitur annua longioribus foliis, J. Bauhino. Sexta, ſeu minor ramis reflexis, C. B. Prod. & Pin. 3^ia annua eſt, minor anguſtifolia Bupleuri folio, C. B. P. perfoliatum anguſtifolium montanum, Col. fig. pag. 247. Perfoliata minima bupleuri folio eidem, pag. 84. minus cognitarum.

Temperamentum & vires.

Perfoliata calida & ſicca eſt, proinde vulneribus & ulceribus exſiccandis apta; umbilici affectibus aliiſque rupturis aptiſſima: pro internis rupturis vino decocta & pota laudatur. Conſule Tragum. Vide plura in Ioh. Bauh. Tom. 3. part. 2. pag. 198.

Bupleurum. A foliorum forma coſtam bovis referentium, ſic dictum eſt. Auricula leporis vulgo dicitur, quod folia rigidiora & nervoſiora gerat (ſaltem majora) modicè in acumen definentia, leporinam ſurrectam auriculam quodammodo referentia. Primum eſt perenne, idque duplex, latifolium omnibus ſuis partibus majus: vel anguſtifolium priori duplo minus. Caulis huic eſt tenuis, teres, lævis, ſtriatus, crebris geniculis donatus, cubitalis, aut ſeſquicubitalis, cui adhærent folia longiuſcula, ſtricta, nervoſa. Flores lutei ſunt in *Umbella* minus patulâ: quorum ſingulis ſuccedunt bina ſemina, petroſelini æmula, acria. 3^ium annuum eſt anguſtiſſimo & longiuſculo folio præditum, cujus caules humi ſunt procumbentes, dodrantales, aut paulo majores: floſculos gerit ſubluteos in *Umbella* itidem minus patula; ſemina pariter minuta, ſtriata, nigra, binatim juncta.

Locus & Tempus.

Primum naſcitur in aridis circa Monſpeſſulum. 2^dum ſecus ſepium margines, & in aridis collibus ſylvoſis. 3um in humidis circa Blaſas.

Nomina.

1. *Bupleurum folio rigido, C. B. P. majus Geſn. in hortis, latifolium, Tab. Park. latifolium Monſpelienſium Ger. auricula leporis altera, Ioh. B. 2^dum Bupleurum anguſtifolium, Dod. Tab. anguſtifolium Monſpelienſium, Ger. anguſtifolium herbariorum, Lob. auricula leporis umbella lutea, Ioh. B. 3^ium anguſtiſſimo folio, C. B. P. minimum Colum. auricula leporis affinis, odontitis lutea Valerandi & Dal^pii, Ioh. B.*

Tempe-

Temperamentum & vires.

Bupleurum moderate calidum eſt & ſiccum, vulneribus & ulceribus medetur. De ſeminibus perfoliatæ & bupleuri conſule Tab. Generalem icon. ſem. 66. 77. De foliis vide primam figuram Tabulæ 7^mæ iconum, & ultimam figuram ejuſdem Tabulæ iconum. Hæ duæ figuræ poni debuerunt ſimul ad calcem Tabulæ, ſed incuriæ ſculptoris fuerunt disjunctæ.

UMBELLÆ SEMINE ALIS FOLIACEIS CINCTO DONATÆ,
3. *Genus Umbellarum conſtituentes.*

CAPUT III.

- *Laſerpitium*
  - *foliis*
    - *Latioribus lobatis*
      - *Seſeli Æthiopicum, herba, Dod.* ☉
      - *Libanotidi Simile, ſemine criſpo, J. B.* ☉
    - *Anguſtioribus*
      - *Saturate virentibus & lucidis.* ☉
      - *Dilute virentibus*
        - *multifariam diviſis.* ☉ ♃
        - *conjugatim diſpoſitis.* ☉ ♃

Explicatio Tabulæ ſuperioris.

Laſerpitium. Pro nota generica habeto, quod bina ſemina ſimul juncta, alis foliaceis ſeu membranaceis cincta, pinnas rotæ molendinæ fluviatilis referant. Eſt duplex ratione foliorum, vel donatur foliis latioribus per lobos latiores diſpoſitis; vel minoribus & anguſtioribus lobis tenuius diſſectis, & pediculis ſuis adhærentibus. Quæ latioribus afficiuntur lobis, ſunt etiam duplicia, quorum prius authoribus male ſeſeli Æthiopicum dicitur; ſed cum ejus ſemen ſit pluribus alis foliaceis (aliorum laſerpitiorum more) cinctum, nullibi aptius poterit collocari quam inter congeneres plantas; ut & alterum ſequens, quod perperam itidem ab authoribus pro libanotide habetur. Prius, ſeſeli Æthiopicum dictum, radicem habet craſſam, valde longam, ſub exitum è terra comatam. (Hoc valde familiare eſt omnibus *Umbellis* thuriferis ſucco lacteo, luteove abundantibus.) Caulem edit nodoſum, duorum aut trium cubitorum. Folia ſingularia majora, ſubrotunda, ſerrata, inferius glauca, ſuperius viridantia, longo pediculo inhærentia, quæ in foliola ex adverſo ſita rurſus ſubdividuntur. *Umbellæ* ex pluribus floribus albis conſtant; atque ſingulis floribus quinis petalis conflatis, ſuccedunt bina ſemina alis pluribus foliaceis prædita, cum quadam acrimonia & amaritudine. 2^dum coſtus amara ſemine criſpo, J. B. Hujus folia ſunt multò prioris foliis longiora, latiora, craſſioraque, unde quam facillime his notis primo intuitu à cæteris ſuæ ſortis diſtinguitur; præcipue vero ſeminibus alis ſuis foliaceis criſpis & rugoſis. Vel eſt foliis anguſtioribus, quod pro triplici foliorum facie, triplex à nobis exhibetur. Vel eſt foliis lucidis & ſaturatè virentibus plurifariam diviſis. Vel eſt foliis multo dilutius virentibus reſpectu prioris, paulo etiam latioribus. Ultimum foliis priorum foliis, multo anguſtioribus prædituum eſt, per lobos longiuſculos, anguſtos, ex adverſo diſpoſitos, & Rachi, ſeu coſtæ mediæ, adhærentes. Caulium altitudine, aut ſeminum magnitudine, parum inter ſe differunt, niſi quod omnium horum trium ſemen ſit alis criſpis, undulatis, læviter ornatum. Hæ tres ultimæ laſerpitii ſpecies omnes radicem habent prægrandem, intus albam, foris cinericeam, ſucco prægnantem, mollem, pinguem, odora-

odoratam. Hoc convenit multis *Umbellis* ſub diverſis generibus militantibus, ut clarius infrà docebimus in obſervationibus generalioribus *Umbellarum*. Omnium pariter horum trium laſerpitiorum ſeminum alæ foliaceæ, ſicut & reliquorum latifoliorum alæ, ſunt numero 8. videlicet binæ erectæ in ſingulis Seminibus, hinc inde, & binæ aliæ ad baſin, qua jungitur ſemen binatim; adeo ut in ſingulis ſeminibus appareant duæ ſemper in dorſo, ſeu convexa parte ſeminis, totidem verſus baſin: dum ſeorſum conſiderantur, dumque adhuc ſunt viridia & conjuncta, numerantur 6. binis alis ad baſin arcte ſibi conjunctis, quæ hinc inde numerari poſſunt pro duabus; cum in ſeminibus ſingulis exſiccatis & deciduis apparent quatuor.

Locus & tempus.

Primum provenit in monte Baldo, aliiſque Italiæ, & Galliæ montibus. Nos copioſe provenientem hanc Libanotidis (ſed potiore jure laſerpitii) ſpeciem invenimus ad vinearum margines meridiei oppoſitos, in collibus ſeu monticulis prope pagum Sencerre, ſecus Ligerem in monte ſitum. Frequenter etiam in Arverniæ montibus conſpicitur. 2um creſcit in monte Summano in Italia. Tria ſequentia in montibus Italiæ & Galliæ Narbonenſis, & Galloprovinciæ.

Nomina.

Primum laſerpitium foliis latioribus lobatis, nobis dicitur. Authoribus ſeſeli, & ſeſeli Æthiopicum, herba, Dod. multi libanotidis indidere nomen. 2dum laſerpitium libanotidi ſimile ſemine criſpo, nobis in tabulis Libanotidi ſimilis coſtus amara dicta ſemine criſpo, J. B. à quo bene figuratur. Libanotis latifolia minor ſem. criſpo C. B. Prod. deſc. 3um laſerpitium foliis anguſtioribus lucidis, & ſaturate virentibus nobis. 4um laſerpitium foliis anguſtioribus dilutè virentibus, nobis. Laſerpitium Gallicum, C. B. P. Maſſilioticum, Tab. è regione Maſſiliæ allatum, J. B. ultimum prout in tabula à nobis exhibetur, explicatur ſuprà, & eſt laſerpitium foliis conjugatim poſitis ſemine criſpo.

Temperamentum & vires.

Laſerpitium calidum & ſiccum eſt, proinde urinas movet, etiam mulierum menſtrua; colicos ſedat dolores, ſi cum myrrha & pipere comedatur. De laſere ex laſerpitio extracto conſule Ioh. Bauhinum, Tom. 3. Part. 2. pag. 136. ubi prolixè de viribus & uſu ejuſdem agit more ſuo. De ſeminibus conſule tabulam generalem iconum ſeminum 8. 8. 9. 9. 10. 10. Folia appingi non curavimus, quia ex deſcriptione & explicatione ſupra exhibita, poſſunt facile enucleari.

UMBELLÆ SEMINE ALA FOLIACEA CINCTO DONATÆ.

Quartum Genus umbellarum.

CAPUT IV.

Thapſia
- *Maxima latiſſimo folio, C. B. P. 3ia. Cluſ.* ⊙
- *Latifolia villoſa, C. B. P. 1. Cluſ.* ⊙
- *Minor carotæ effigie, Lob.* ⊙

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Thapſia 4tum conſtituit *Umbellarum* ſubalternum genus. Ejus nota generica eſto ſemen pene circulariter, ſeu orbiculariter ala foliacea, per extremum tamen bifida cinctum, & eo nomine præcipue diſtinguitur à laſerpitio, cujus ſemina alis pluribus foliaceis cinguntur minoribus, & depreſſioribus, Angelicæ ſemina multum acerositate

carinarum membranacearum ſuperantibus. Eſt autem triplex, una maxima latiſſimo folio, & ſemine omnium ſuæ familias maximo. Folia habet hæc obſcure viridia, cinere quaſi, aut villoſa lanugine obtecta, humi diffuſa, & plurifariam diviſa, ingrati admodum ſaporis; inter eadem caulis emergit cubitalis, & bicubitalis, craſſus, rotundus, nodoſus, cavus, ut in maxima parte *Umbellarum.* In faſtigio ſummo *Umbellam* ſuſtinet magnam, luteis floribus oneratam, quæ ſemine prægnans conſtituit ſuperficiem ſeminibus ala foliacea rotatim, ſeu orbiculariter cinctis, binatim junctis, compreſſis oneratam. Radice eſt craſſa, longa (ſumma parte capillata, ſeu comata, ut pleræque *Umbelliferæ* craſſiore libro veſtitæ) foris ſubnigra, vel fuſca, intus candicante, lacteo ſucco plena. Guſtu eſt amariſſimo, acri & ingrato, adeo ut nauſeam etiam moveat. 2da major reſpectu ſequentis; ejus folia cicutæ majoris, montanæ, fœtidæ foliis ſunt latiora, dilute virentia, hirſutie lævi obducta. Semina prioris duplo minora. 3^ia^ omnium minima, tota facie (ſi foliorum diſpoſitionem intuearis, quæ ſunt effigie carotæ, ſeu foliis plurifariam diviſis) à præcedentibus duabus diverſa: quin & ſemina compreſſa, ala foliacea cincta, binatim juncta, triplo præcedentium ſeminibus minora ſunt.

Locus & tempus.

Prima & ſecunda in collibus petroſis Hiſpaniæ, Luſitaniæ, aliiſque multis locis editioribus & incultis, tertia in montibus Galliæ Narbonenſis provenit. Florent & ſemen perficiunt verſus Autumnum.

Nomina.

Prima Thapſia maxima latiſſimo folio, C. B. P. 3. Cluſ. in Hiſt. 2da Thapſia latifolia villoſa, C. B. P. latifolia, Tab. 1. Cluſ. in Hiſt. latifolia Hiſpanica Park. Thapſia, 1. Cluſ. latifolia flore luteo, ſemine lato, ſimilis ſeſeli Peloponenſi Lobelii, Fr. Bauh. Seſeli Peloponeſiacum, Tab. 3^ia^ Thapſia carotæ effigie, Lob. ad. carotæ folio, C. B. P. vulgaris carotæ effigie, Park. Omnium harum trium & folia & ſemina deſignari, & ſculpi de novo cuperemus, cum multis aliis iconibus male ab authoribus oblatis, atque à poſterioris hujus ſeculi compilatoribus, earundem iterum icones & deſcriptiones male delineatas & pictas exhibentibus; quod non parum offecit Reipublicæ literariæ Botanicæ. Tertia ſemen habet foliaceum, minus quam ſecunda, & folia ferulæ foliis magis accedentia.

Temperamentum & vires.

Thapſia calida eſt & ſicca. Perperam ab impoſtoribus in Hiſpania pro turbith vendebatur ejus radix, magno Reipublicæ detrimento. Vetulæ Salmanticenſes hujus radice utebantur ad provocandos menſes, aliaſque dejectiones moliendas teſte Cluſio, ſed tanta vi ἄνω καὶ κάτω purgat, ut ſumentes in maximum periculum conjiciat. Ideo ab hujuſmodi medicamentis mochlicis omnino abſtinendum eſt, & ſemper, & omni data occaſione benignioribus, & tutioribus uti conſulerem. De ſeminibus conſule Tabulam Generalem iconum ſeminum II. II. *quandoquidem folia facile diſtinguunt ſpecies ex explicatione Tabulæ præcedentis. Thapſia 2da exhibuiſſe ſemina ſufficit.*

UMBELLÆ SEMINE VILLOSO SEU HISPIDO DONATÆ.

Quintum Genus umbellarum.

CAPUT V.

Paſtinaca tenuifolia, Daucus, ſeu carota.

- *Sativa*
  - *Alba.* ☿
  - *Lutea.* ☿
  - *Rubra.* ☿
- *Sylveſtris*
  - *Genuina Dioſc.* ☿
  - *Lucida.* ☿ ♋
  - *Radice & umbella lutea.* ☿ ♋
- *Cretica*
  - *Radiis umbellæ, gingidii longioribus.* ☿ ♋
  - *Capitulis globoſis. Cuminum ſylveſtre globoſum, Tab.* ☿

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Paſtinaca tenuifolia, daucus, ſeu carota. Folia habet hirta, plurifariam diviſa, veluti in alas. Caules emittit duos cubitos altos, hirſutos, ſtriatos, concavos, ramoſos; in quorum cimis flores proveniunt puſilli, albi, convexam ſuperficiem conſtituentes, in margine rotundam. Floribus fatiſcentibus ſuccedit *Umbella* ſemine villoſo prægnans, concava, nidi avis inſtar. Vide tabulam ſecundam iconum à nobis exhibitarum. Seritur hodie apud omnes Europeos, & colitur propter radicem, quæ eſt pedem longa, pyriformis, ſeu coniformis inverſa, intus medulloſâ ſubſtantiâ, extra carnoſâ, friabili, albâ, luteâ, aut rubrâ conſtans, & maximoperè in culina expetita. Secundo anno ex eadem radice exurgunt caules ſuſtinentes *Umbellam* albam: in ſylveſtri, ſeu genuina Dioſcoridis, conſpicitur macula purpurea in meditullio.

Paſtinaca tenuifolia eſt triplex, 1ma ſativa, ſeu hortenſis, cujus radicum potiſſimùm eſt cura; quare cultura & mangonio in hortis educatur. Majore & craſſiore prædita eſt radice turbinata, quæ à colore eſt alba, lutea, aut rubra, ludente ſic natura ex ſatione. Altera eſt ſylveſtris; quæ triplex etiam eſt: prior ſylveſtris genuina dicitur Dioſcoridi; expetitur propter ſemen, jucundum & gratum admodum naribus odorem ſuffundens, & in medicina variis uſibus adaptatum. Exceptâ maculâ purpureâ in medio *Umbellæ*, & radicis parvitate, quæ mutantur à ſolo fertiliori tantum, nullatenus ſpecie differunt. Datur alia ſylveſtris cujus folia non ſunt hirta, ſed paulo latiora, ſpiſſiora, magis diſſecta, & lucida; ſemen hujus multo eſt priorum ſeminibus majus. Datur etiam 3ia ſylveſtris, cujus radix & *Umbella* dilute ſunt luteæ. *Umbellæ* colore à prædictis ſpecie diſtinguitur; quatenus prædictæ *Umbellæ* albæ omnes conſtanter cernuntur. Daucus creticus, ſeu carota cretica, duplex etiam obſervatur; prima hac nota præcipue cognoſcitur, quod radios *Umbellarum* producit quinas uncias

cias longos, craſſiores, rigidiores quam ſunt viſnagæ radii; atque hi concavam conſtituunt ſuperficiem nidi avis inſtar, dum ſunt adhuc ſemine prægnantes; atque ſemina villoſa, hiſpida, carotæ vulgaris more, ſed multo majora & craſſiora ferunt. Carota, ſeu daucus 2^dus creticus, eſt capitulis globoſis, ſola hac nota ab omnibus *Umbellis* proprie dictis notu facilis. Folia habet pinnatim rachi, ſeu pediculo medio adnaſcentia, humi procumbentia, glabra, ſerrata, ſii terreſtris ſeu ſegetalis Park. foliorum quodammodo æmula: è quorum humi procumbentium centro, exit cauliculus ſemipedalis, in ſummis faſtigiis ſuſtinens globulos ex multis ſeminibus ſingularibus, oblongis, in ſuperiore & tenuiore parte hirſutis (non binatim junctis) conflatos, atque propter præcipuam deficientem conditionem, concludo eandem non eſſe *Umbellam* proprie dictam, huc tamen retulimus ob ſemen villoſum, quid aromaticum redolens, carotarum more. Si quis ad finem *Umbellarum* inter improprie dictas *Umbellas* collocaverit, per me non ſtabit. Inſuper cum cumino nullam habet affinitatem, ex odore propius accedit carotæ: ſemina ut dixi producit ſingularia, villis, ſeu pappis plurimis in apice donata, atque ſemen ipſum reticulo quodam, à natura eleganter conſtructo circumvallatur; fortaſſis non inepte poſt valerianam (quippe ſemine pappoſo donatam) inter *Umbellas* improprie dictas collocaretur.

Locus & tempus.

Paſtinaca ſativa tenuifolia in hortis colitur, ſylveſtris in pratis paſſim provenit. Sylveſtris lucidæ natales ſunt in humectis & pinguibus pratis ad oram maritimam Armoricam, cujus ſemen ſatum in horto regio Blaſenſi paſtinacam produxit foliis lucidis, magiſque diſſectis, ex cujus ſemine ad me dato anno elapſo (cum mille aliis mihi communicatis à generoſo & Nobili viro Patricio Murray de Leivingſton) planta ipſa in horto publico Univerſitatis impræſentiarum viget: ſicut & in horto Edwardi Morgan poſt Eccleſiam Cathedralem Weſtmonaſterienſem. Jam cernere licet (non obſtante hyeme) folia ejuſdem carotæ glauca, lucida, abſque villis aut pilis; ergo non eſt varietas per accidens tantum, quia non degenerat in ſylveſtrem foliis & caulibus hirtis affici ſolitam. Carotæ radice, & umbella lutea ſemina, ex agro Patavino ad nos miſſa à D. Alexandro Balam, ſicut plurima alia ſemina rariora, Cretica & Raguſiana. Carotæ radiis umbellæ gingidii longioribus ſemina ex Creta, & anno elapſo ex Mauritania Tingitana, ab eodem Generoſo Anglo, Domino Alexandro Balam, fuerunt in Angliam delata, & mihi communicata. Ultima paſtinaca cretica, ſeu daucus creticus capitulis globoſis nobis dicitur, aptius quam cuminum, cum quo nec convenit foliis, nec odore, nec ſapore, multo minus ſeminibus. Eſt planta umbellifera improprie loquendo. Dicitur cuminum ſylveſtre, Park. Dod. Lob. icon. Ger. ſylveſtre primum valde odoratum, globoſum, J. B.

Nomina.

Prima paſtinaca tenuifolia ſativa radice alba, lutea, vel atrorubente, C. B. P. tenuifolia ſativa, Dod. carota noſtra Cam. vulgaris radice flava, ad. Lob. ſtaphilinus luteus, Dod. Gall. 2da paſtinaca ſylveſtris Dioſcoridis, Lob. ſtaphilinus ſylveſtris, Trag. daucus vulgaris, Cluſ. tertia & quarta à nemine ante nos obſervata. 3^tia prout à nobis ſupra exhibetur ſub nomine daucus, ſeu paſtinaca cretica, radiis umbellæ, gingidii longioribus. Ultimus daucus creticus capitulis globoſis nobis. Lagochymeni, id eſt leporis cubile in Inſula Lemno, Bellon. Vide ſupra cætera Synonyma. De ſeminibus dauci, conſule Tabulam Generalem Iconum ſeminum 12 12. 13 13. de foliis, umbella concava, & ſeminibus, vide Tabulam ſecundam iconum.

Temperamentum & vires.

Paſtinaca tenuifolia ſativa calidi & humidi (cum dulcedine) eſt temperamenti, flatus generat, ad venerem excitat. Sylveſtris urinam & menſes ciet, aquam intercutem diſcutit. Colico dolori, ſuffocationibus matricis auxiliatur. Vide facultates Carotarum apud Joh. Bauh. Tom. 3. part. 2. pag. 66.

UMBELLÆ SEMINE ECHINATO, SEU ACULEATO DONATÆ.

Sextum Genus Umbellarum.

CAPUT VI.

- *Caucalis*
  - *major*
    - *Platyphyllon* { *purpurea, Col.* ☿ ; *alba.* ☿ }
    - *Leptophyllon*
      - *Monſpeliaca echinato magno fructu, C. B. P. Lappa Boaria Plinii Hiſt. Lugd.* ☿
      - *Echinata magno flore, Cluſ.* ☿
    - *Daucoïdes Tingitana.* ☿ ♋
  - *minor* { *arvenſis parvo flore & fructu.* ☿ ; *nodoſo echinato ſemine C. B. P.* ☿ }

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Caucalis. Umbella eſt, (quoad ſeminis figuram) priori generi, dauco ſcilicet, valde accedens, ideoque huic eandem ſubjunximus. Semine eſt echinato, ſeu aculeato, multo præcedentis dauci ſemine rigidiore, & longioribus & ſolidioribus aculeis donato. Radicem habent fibroſam omnes caucalidum ſpecies; qua nota præcipuè junctis aculeis rigidioribus, à dauco diſtinguuntur; adde quod ſemina ſunt multo majora, ſpiſſioraque. Quin & præter Dioſcoridem etiam Galenus dauco ſylveſtri caucalidem ſapore & facultate ſimilem eſſe ſcribit; quod nempe calefacit & ſiccat; verum ex libro naturæ nos hauſimus aliqualem illam conformitatem in facultatibus à ſeminum & aliarum partium ſimilitudine. Eſt autem duplex, πλατύφυλλος cujus folia ſunt cæterarum foliis duplo majora, flos etiam major, cæteræque partes majores, unde per διχοτομίαν eſt major vel minor; major à foliis eſt aut πλατύφυλλος ſeu latifolia, flore ſæpius purpureo, rarius albo: vel λεπτόφυλλος, ſeu tenuifolia, cujus flos eſt albus; eaque duplex, magno fructu, & parvo flore, duplo minorum infra deſcribendarum majore fructu; vel magno flore, ſemine etiam magno compreſſiore. Sequitur Daucoïdes Tingitana. Sub primum exitum è terra, & antequam cauleſcat, ejus folia adeo dauci, ſeu carotæ foliorum ſunt æmula, ut pro dauco accipi poſſit. Caules pedales & bipedales producit, in quorum ſummis proveniunt flores albi, qui antequam expandantur, purpuraſcunt; horum ſingulis deciduis ſuccedunt bina ſemina, oblonga, compacta, longiſſimis & tenuiſſimis aculeis donata. Vide Tabulam 1^mam^ generalem iconum ſeminum 17. 17. Minor vel eſt parvo flore, & fructu parvo, villoſo, ſeu hiſpido, cujus caulis eſt pedalis, & bipedalis, ſuſtinens in ſummis ramulis, floſculos minutos albos, perrarò purpureos, fructumque hiſpidum parvum; vel eſt procumbens, ad ſingulos caulis nodos florida, & ſemina plurima villoſa, & rugoſa, racematim ad nodos, ſeu geniculos, compacta gerens; unde illi nomen caucalis nodoſo echinato ſemine.

Locus & Tempus.

Caucalides hæ omnes inter ſegetes (præter nodoſam, quæ ſæpius ſecus aggeres, foſſas, murorumque radices,

in ſuburbiis ſponte oritur) proveniunt. Flores edunt & ſemina perficiunt maturo tritico in Gallia, partim in Septentrionalibus, partim in Meridionalibus regionibus; maxima pars etiam ſponte in Anglia, tam in arvis ſegetalibus, quam ſepibus conſpicitur. 4ta ſemina ex Mauritania Tingitana ab amico meo Roberto Spotswood illic degente, oppidano Chirurgo, & Apothecario, ad me miſſa 5ta paſſim in arvis ſegetalibus, & foſſis ſepium; ultima ad radices murorum, & margines foſſarum frequenter provenit.

Nomina.

Prima majorum eſt arvenſis echinata, latifolia, C. B. B. echinophora major platyphyllos purpurea, Col. caucalis echinophora major purpurea, Park. Abundat inter ſegetes circa Blæſas, perraro eadem reperitur flore albo. 2da Monſpeliaca echinata magno fructu, C. B. P. lappa boaria Plinii, Hiſt. Lugd. Echinophora Platycarpos altera aſperior, Col. Tranſpoſita ſunt nomina à Columna, pag. 94. de minus cognitis, nam debet πυκνόκαρπος ſuperſcribi huic figuræ à dextris, & πλατύκαρπος eſt figuræ à ſiniſtris inſcribenda; ita ut caucalis Monſpeliaca magno fructu Bauh. ſit echinophora πυκνόκαρπος, & altera caucalis arvenſis echinato magno flore, C. B. P. caucalis albo flore, Cluſ. vulgaris albis floribus, Park. ſit echinophora πλατύκαρπος, Col. 4ta ut à nobis in Tabula cognationis ſupra denominatur, caucalis major Daucoïdes Tingitana. 5ta caucalis arvenſis parvo flore & fructu, C. B. P. caucalis flore minuto, Cam. Lappula Canaria flore minore ſive tenuifolia, J. B. 6ta caucalis nodoſo echinato ſemine, C. B. P. Matthli. ed. Bauh. & J. Bauh. eidem, anthriſco Hiſpido affinis, ſi non ejus varietas.

Temperamentum & vires.

Caucalis calidi & ſicci eſt temperamenti, urinas ciet, lienis & hepatis tollit obſtructiones. Vide authores de caucalidis viribus. Quoad figuras, ſeu iconeſ ſeminum, conſule Tabulam generalem iconum ſeminum 14.14. 15.15. 16.16. 17.17. 18.18. 19.19. ejuſdemque explicationem. Folia omnium ſunt plurifariam diviſa, ut carotæ.

CAPUT VII.

SEptimum Genus *Umbellarum* conſtituent plantæ *Umbelliferæ* ſemine membranaceo, ſubrotundo, compreſſo donatæ; quæ pro triplici foliorum diſpoſitione & ſitu, trifariam à nobis dividendæ veniunt. Vel ſunt 1° loco foliis ferulaceis fœniculaceiſve. Vel ſecundo loco ſunt foliis lobatis. Vel denique tertio loco folia gerunt, nec fœniculacea, nec lobata, ſed intermedia plurifariam diviſa. Atque primo de ferulaceis ſemine foliaceo, ſeu membranaceo, ſubrotundo, compreſſo præditis dicemus. Peucedanum quamvis folia non gerat omnino ferulacea, tamen quia foliis gramineis tenuiſſime diviſis ternatim, & ter ternis, longis conſtat, ſemineque membranaceo, ſubrotundo ornatur, ſub eodem militabit ſigno cum prædictis.

UMBELLÆ SEMINE FOLIACEO SUBROTUNDO foliis fœniculaceis Donatæ.

Septimum Genus Umbellarum.

- *Ferula*
  - *Matth.* ☉
  - *tenuiore folio.* ☉
- *Panax Aſclepium.* ☉
- *Anethum.* ☿
- *Peucedanum*
  - *majus Italicum.* ☉
  - *minus*
    - *Germanicum.* ☉
    - *humilius foliis conjugatim diſpoſitis.* ☉ ♃

Explicatio

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Ferula major, ſeu fœmina. Primum obtinebit locum inter *Umbellas* ſemine membranaceo, compreſſo, rotundo, ſeu oblongo, foliis ferulaceis, aut fœniculaceis præditas. Omnium ſuæ claſſis eſt altiſsima, quippe caulem edit quinos, aut ſenos aliquando cubitos altum, craſſum, fungoſâ ſubſtantiâ plenum, ramoſum. Folia habet fœniculacea, ſegmentis latioribus & brevioribus, dilutius etiam virentibus donata. *Umbellæ* latæ, rotundæ, florum luteorum, reflexorum, quibus delapſis ſuccedunt ſemina magna, foliacea, rotunda, oblonga, ſubnigra, matura, gemina ſemper, exteriori parte triplici linea depreſsiori, interiori duplici fibrilla donata, qua junguntur, quaque adhuc viridia nutriuntur, quæ, poſt matura & decidua ſemina, hinc inde apparent exſiccatæ ſeorſum in apice ſuperiore; quod conſpicere licet in gemina omnium *Umbellarum* utplurimum combinatione, poſt exſiccationem ſeminum. Videte & perpendite *Umbellas* cachryon trium in 3ia Tabula iconum à nobis propoſitarum, & obſervabitis ſemina adhuc viridia ſibinvicem conjuncta, & quædam hactenus exſiccata & hiulca, quædam denique per maturitatem decidua, ſuperſtitibus fibrillis binis, aridis, apertis. Radix hujus, ſicut & cachryon trium, vulnerata lachrymam fundit lacteam. Odor ejus gratus; ſapor acris. 2da eſt ferula minor tenuiori folio: caule ſtriato fœniculi, intus inani; foliis etiam fœniculi latioribus, amplioribus, minoribus tamen quam in ferula, ad ramulorum exortum prodeuntibus, quod contingit in omnibus ferulaceis, alternatim nunc ex hac, nunc ex illa parte. Flore eſt luteo, in *Umbellis* reflexo; ſemine etiam oblongo, foliaceo, ſubflaveſcente per maturitatem, ſtriis depreſsis notato.

Panax aſclepium. In montibus provenit, foliis brevioribus, & dilutius virentibus fœniculi. Caulem fert rotundum, cavum, cubitalem, & bicubitalem, geniculis craſsis. Flores fert luteos, ſemina ampliora ſubflava, compreſsiora, ſtriis tribus depreſsis exterius. Ex hujus radice inciſa emanat ſuccus croceus, qui coagulatus an ſit oppoponax, examinent diligentes & curioſi in re Botanica, & conſulant Andream Cæſalpinum, pag. 272. & 280.

Locus & tempus.

Ferula major in rupibus torreſieri ſolitis, tam in Gallia Narbonenſi, quam Apulis, aut Florentinis agris naſcitur. Ferula tenuiori folio & panax aſclepium in Italiæ, & Galliæ montibus, & in Inſulis maris Mediterranei, Creta, Sicilia, &c. ſponte reperiuntur. Florent circa finem Julii; ſemina omnes perficiunt circa finem æſtatis.

Nomina.

Prima ferula Matth. Cord. in Dioſcor. Dod. Lob. Lugd. Cam. Tab. 2da ferula folio tenuiori, ſeu ferulago, C. B. P. ferulago Tab. 3ia panax aſclepium, Dod. Cæſ. Tab. Libanotidis ferulæ folio & ſemine, C. B. P. ferulam malim appellare Libanotidis odorem & ſuccum fundentem.

Temperamentum & vires.

Ferula calida & ſicca eſt, ejuſque gummi ſagapenum & galbanum diſtillans ex radice calidum etiam eſt & ſiccum in 3io gradu, quod in jure rutæ diſſolutum, urinas, & menſes ciet, fœtuſque mortuos educit. Vide plura de omnibus hiſce tribus (quæ iiſdem pollent viribus, ſecundum magis & minus) apud Johannem Bauh. & conſule Andream Cæſalpinum de uſu panacis aſclepii.

Anethum

A *Nethum.* Semen pariter habet foliaceum, ſubrotundum, compreſſum, minuſculum, atrovirens, ſtriis depreſsis tribus in parte exteriori notatum. Folia fœniculi foliis adeo habet ſimilia, ut niſi colore obſcurius virenti, & odore alieno à fœniculi odore, juncta partium parvitate, haud facile diſtingueretur à fœniculo ante productionem ſeminis: tunc à ſeminis figura, ejuſdemque odore, & ſapore, quam facile à fœniculo ſecernitur, & hîc cum congeneribus collocatur. Anethum inſuper ſola eſt planta annua ſemine foliaceo ſubrotundo, & foliis fœniculaceis, ſeu tenuiter diviſis prædita.

Locus & Tempus.

Anethum in hortis Holeraceis ſponte provenit; inter ſegetes in meridionalibus regionibus. Flores ſub luteos, ſeu ex herbido luteos: ſemina ſubviridia, ſeu atroviridia producit, eadem autem perficit æſtate. Anethum ſculptum in ſuperiori parte Tabulæ 8^væ debuit claudere Tabulam, atque immediate ante hoc, perfoliata, & Bupleurum, atque priora ante illa carum, & aniſum, fuiſſent collocanda; ſed (me abſente) poſt delineationem ſingularum umbellarum in hac Tab. contentarum, rite ſatis factam, confuſe admodum collocavit ſculptor; obſervandus eſt ordo noſter hic traditus in doctrina, & Tabulis ſingulis inſertus.

Nomina.

Anethum hortenſe, C. B. P. Anethum Math. Dod. Lugd. Tab. Ger. F. B.

Temperamentum & vires.

Eſt calidum in tertio, ſiccum in 2do gradu. Lac auget teſte Dioſcoride, decoctum ejus partum adjuvat. Semen flatus, & tormina alvi diſcutit, apoſtemata & ulcera deſiccat. Vide de ejus facultatibus, Joh. Bauh. pag. 6. & 7. Tom. 3. Part. 2.

P *Eucedanum.* Planta eſt ferulacea, folia ſua graminea, ter tripartita, diſſecta, ſeu diviſa gerens; cumque ſemina foliacea, ſubrotunda, compreſſa, ſtriis læviter in exteriori ſeminis parte ternis notata, aliarum hujuſmodi ferulacearum, ſeu fœniculacearum *Umbellarum* more, in ſummis caulium ramis bipedalium, nonnunquam tripedalium (ſecundum ſolum cui committitur) ferat, idem huc retulimus, nec alio aptius revocari poſſe autumamus. Eſt triplex, prius Italicum, omnium maximum; quod eſt radice prælonga, alte in terram demiſſa, ſuccoſa, & amara, ſupra terram barbam, ſeu comam canam, ſetis porci ſimilem obtinente. Caule eſt terete, foliis pineis, potius quam fœniculaceis; cum pino enim plus ſimilitudinis, quam cum fœniculo habet, referente Trago. *Umbellam* habet in muſcariis luteam, cujus ſinguli flores ſingulis pediculis, ſeu radiolis inſiſtentes, conflati ſunt ex quinis petalis reflexis, (quod contingit in maxima ferulacearum parte, luteis foliolis præditarum.) Hiſce ſingulis evaneſcentibus, ſuccedunt bina ſemina foliacea, compreſſa, oblonga, tumidiuſcula, ſeu exteriori parte, ſtriis depreſſis ovatim rotata. 2^dum minus Germanicum priori magnitudine cedit, cætera ei par. Datur & 3^ium humilius foliis conjugatim diſpoſitis, diviſionum pinnarum partibus, linariæ folio latitudine & longitudine fere paribus: hoc ipſi plantæ contingit ineunte vere. Folia in pediculo medio denſius diſponuntur, verſus terram lobatim ſeu conjugatim (non autem præcedentium more trifariam) dividuntur, cauleſcente tamen hac eadem planta, tenuius finduntur folia. Si radix cujuſlibet vulneretur, ſuccum emittit fulvum, odore piceo, viroſo.

Locus

Locus & tempus.

Primum in Italia, & Sicilia, unde primò tranſlatum ad Italos ejus ſemen, & in Germaniæ Sylva Hyrcinea crevit. 2dum in omnibus (quas unquam adii) ſylvis annoſis, in Gallia paſſim; præſertim in opacis & humidis provenit. 3ium in montibus Arverniæ, inde ad nos miſſum à Nobili viro, & ſtirpium ſcrutatore diligente Domino de Fontain, Abbate Digniſſimo, viro probo & docto; quin & multæ aliæ ſtirpes ab eodem prædicto Domino communicatæ (tranſmiſſis ſeminibus) Domino Marchant Collegæ meo Blæſis degenti, prædicto Domino Abbati familiari & intimo amico. Florent ſub finem æſtatis; ineunte Autumno ſemina perficiunt membranacea, oblonga, aceroſa, triplò ſaltem ferulæ ſeminibus anguſtiora, tenuiora, læviora, minoraque.

Nomina.

Peucedanum majus Italicum, Lob. Icon. C. B. P. F. B. Park. 2dum peucedanum Germanicum, C. B. P. minus Germanicum, F. B. fœniculum porcinum Tab. cui & cauda porcina. Peucedanum vulgare, Park. deſcr. 3um Peucedanum foliis conjugatim diſpoſitis, nobis ſic dicitur, ſeu minus foliis lobatis anguſtis. Vide deſcriptionem, pag. 293. prælud. noſtr. Botan.

Temperamentum & vires.

Peucedani radix calida in 2do & ſicca in 3io Gradu; radix ejus cum ſemine cupreſſi in vino macerata & hauſta ſuffocationi matricis medetur, exomphalo prodeſt ejus ſuccus. Vide de ejus viribus Joh. Bauh. Tom. 3. Part. 2. pag. 37. qui copioſe ſatis eaſdem illic docet. De ſeminibus umbellarum ſemine foliaceo, ſubrotundo, compreſſo, & foliis fœniculaceis donatarum, conſule Tabulam Generalem Iconum ſeminum 20. 20. 21. 21. 22. 22. 23. 23. 24. 24. De foliis, vide Tabulam iconum 8. anethum, & 9. peucedanum Italicum.

SEptimi generis ſubalterni *Umbellarum* ſecundum membrum conſtituent *Umbellæ* ſemine foliaceo, ſubrotundo, foliis lobatis (id eſt pinnatim, ſeu conjugatim, è regione hinc inde adnaſcentibus nervo medio, impari ſemper extremum claudente) utplurimum in hoc membro hirſutis donatæ. Sicut docuimus in diſtributione numeroſi iſtius ſubalterni generis *Umbellarum*, ſtriato ſemine præditarum, eandem hic obſervabimus methodum deſumptam à triplici foliorum facie, quæ ſunt fœniculacea, lobata, vel plurifariam diviſa; de fœniculaceis ſupra dictum, jam reſtat ut de lobatis ſemine compreſſo, membranaceo, ſubrotundo ornatis dicamus.

UMBELLÆ SEMINE FOLIACEO, SUBROTUNDO, foliis lobatis donatæ.

- *Sphondylium*
  - *vulgare hirſutum.* ♀
  - *hirſutum fol. anguſtioribus, C. B. in Pin. & Prod.* ♀
- *Paſtinaca latifolia*
  - *ſativa.* ♀
  - *ſylveſtris.* ♀
- *Tordylium*
  - *majus, limbo quaſi lævi & minus granulato.* ♀ ♋
  - *minus, limbo granulato*
    - *Syriacum.* ♀ ♋
    - *Apulum minimum, Col.* ♀ ♋

Panaces peregrinum, Dod.

Explicatio Tabulæ ſuperioris.

S*Phondylium.* Prima eſt Umbelliferarum ſemine foliaceo, ſubrotundo, compreſſo, foliiſque lobatis præditarum. Caulem habet ſtriatum, rectum, hirſutum, bicubitalem, geniculatum, intus concavum; folia per terram ſtrata acanthi, hirſuta, altius laciniata, & ex pluribus lobis ſingularibus, in alas, ſeu pinnas digeſtis, coſtæ adhærentibus ſine pediculis. Flores *Umbellæ* latioris orbem ſuggerunt & circinant candidi, quorum ſingula petala quinque cordatis petalis, ſeu foliolis, ad medium bifidis conſtant. Vide ſphondylium florens in Tabula ſecunda Iconum à nobis exhibitum: ibi diſtincte obſervabis paſſim. quinque petala cordata, ingenioſe & ſumma cum arte à chalcographo Univerſitatis noſtræ delineata & ſculpta. Unicuique flori ſuccedunt bina ſemina membranacea, rotunda, parte convexa tribus ſtriis nigris, ovatis, inſignita, binis intus. Radicem alte in terram agit craſſam, rugoſam, ſuccum emittentem ſubcroceum, fervidi guſtus, & ſubamari, linguam vellicantem. 2^dum ſolâ foliorum diviſione à majore ſphondylio differt; cum enim prioris folium ex 5. partibus latis, ſubrotundis, componitur, hujus folia abeunt in lacinias oblongas, anguſtas, & acuminatas, hæque in alias inordinate partitas, & per marginem crenatas; in omnibus cæteris ſuis partibus, cum priore congruit, cujus eſt tantum varietas, ludente ſic natura.

Locus & tempus.

Sphondylium vulgare in pratis humidis, & ad foſſarum humidarum aggeres, paſſim ſponte provenit. 2^dum in pratis Rhæticis & Luſatia, in Comitatu Angliæ Shropſhire repertum fuit, Parkinſono citante D. Bowles; illius credulitatem detracto, atque accedo ſententiæ D. J. Raii, qui fideliter natales omnium ſtirpium in Anglia & Inſulis eidem adjacentibus nobis exhibuit: ſed quandoquidem characteriſmo notatum obſervo, an ſponte in Anglia proveniat dubitandi mihi reliquitur locus. Florent Junio, & Julio; ac Septembri ſemina ſua perficiunt.

Nomina.

Primum Sphondylium vulgare, hirſutum, C. B. P. Sphondylium Dod. Lob. ad. Branca urſina, Trag. Cord. in Dioſc. acanthus vulgaris, ſeu Germanica, Fuch. 2^dum aliud majus, foliis laciniatis, Park. hirſutum foliis anguſtioribus, C. B. Prod.

Temperamentum & vires.

Sphondylium calidi & inciſivi eſt temperamenti; proinde tuſſi & aſthmatè medentur ejus ſemina. Conſule Joh. Bauh. Tom. 3 part. 2. pag. 161. qui plura dabit.

P*Aſtinaca* latifolia. Inter cæteras ſuæ familias facilè cognoſcitur à radice carnoſa, turbinata, oblonga, quæ in culinis omnibus Europeis maxime expetitur quadrageſimali tempore; ſativa ſaltem in omnibus prædictis locis in hunc uſum colitur, cujus caulis eſt bicubitalis, ſtriatus, inanis. Pediculos foliorum per terram ſtratos gerit pedales, & longiores, quibus è regione adhærent folia triuncialia longitudine, & ſeſquiunciam lata, plus minuſve ſerrata, impari extremum claudente, cum ſobole foliorum majoribus ſub exortum junctorum. Ex medio foliorum exilit prædictus caulis, ſuſtinens *Umbellas* luteis floribus reflexis ornatas, quibus deciduis ſuccedunt ſemina aceroſa, ſubrotunda, compreſſa, multò ſphondylii ſeminibus minora

nora. 2da ſylveſtris minor eſt quoad omnes ſuas partes. Ex ſylveſtris ſemine ſato, & iterum ſato in pinguiori & fertili ſolo, provenit ſativa, ſeu vulgaris in hortis culta, quemadmodum ex ſtaphylino, ſeu carota ſylveſtri, carota ſativa. Semen ſuum utraque 2do poſt ſationem anno perficit, ſeſe de novo propagando. Utraque etiam maturo ſemine exſiccatur, & moritur. Hoc familiare eſt multis biennalibus, & triennalibus, quæ perfecto & exſiccato ſemine totaliter (id eſt penitus & radicitus) pereunt, nulla reſtibili radice in terra, ut in vivacibus, ſeu perennibus. Mangonio & cura hortulanorum ſeritur verno tempore in hortis, ut ejuſdem ſativæ radix per totam hyemem ſequentem venum in foro olitorio publico exponatur ; deinde æſtate ſequenti ſemen ſuum perficit.

Locus & tempus.

Paſtinaca latifolia ſativa, uti dictum eſt, colitur in hortis, culinariis. Sylveſtris in arvis ſatis, & pratis, paſſim obvia. Flores & ſemina perficit utraque menſe anguſto, nunc citius, nunc tardius, pro ſationis tempeſtate, agri fertilitate, aut ſterilitate: idem dicendum de aliis omnibus.

Nomina.

Prima paſtinaca latifolia, ſativa, Park. Ger. Dod. C. B. P. ſativa latifolia Germanica luteo flore, J. B. (domeſtica latifolia, vulgaris dicitur, ut diſtinguatur à carota, quæ paſtinaca tenuifolia nuncupatur) domeſtica vulgaris Lob. ſiſarum ſativum magnum, Fuch. ſiſer Dioſcoridis, Colum. Elaphoboſcum ſativum, Trag. 2da paſtinaca ſylveſtris, latifolia, Dod. Ger. Park. deſc. Elaphoboſcum branca Leonina, Tab. Baucia paſtinaca ſylveſtris, ad. Lob. Paſtinaca Germanica ſylveſtris, quibuſdam Elaphoboſcum, J. B.

Temperamentum & vires.

Paſtinaca eſt temperamenti moderatè calidi, & humidi. Multum nutrit, ſed flatus generat, & ad venerem ſtimulat, urinam provocat, præcipue ſylveſtris. Cervos eandem adverſus ſerpentum venenoſos ictus in pabulo uſurpare ſcribit Dioſcorides, unde ei Elaphoboſci nomen ab authoribus impoſitum.

Tordylium. Tertium vendicabit locum inter *Umbellas* lobatas ſemine foliaceo, ſubrotundo, compreſſo ditatas : hujus duæ nobis innotuêre ſpecies, una major, quæ multos emittit ſtolones bicubitales, & tricubitales, interdum plures, ſtriatos, intus cavos, multis geniculis per intervalla interceptos, & in plures ramos diviſos. Sub exortum ineunte æſtate pediculos emittit pedales, ſuſtinentes lobatim plurima folia ſubrotunda, hirſuta, coſtæ mediæ adhærentia, extremum uno claudente, Paſtinacæ ſativæ latifoliæ inſtar. In ſummis ramis *Umbellatim* proveniunt candicantes flores, ad carneum calorem, antequam expandantur, ſubtus nonnihil accedentes ; quorum ſingulis deciduis ſuccedunt binatim ſemina membranacea, rotunda, in exteriori & media parte ſubhirſuta, & ſummo mucrone bifida, & aculeata. Hanc Cluſius denominat caucalidem majorem ; rectiùs vero librum naturæ & finem ultimum conſideranti ſubiit animum Jacobo Plateau propter ſemen cartilagineum, gemellum, rotundum, ad tordylii genus referre. Vide pag. 268. prælud. noſtr. Botan. Altera tordylii ſpecies eſt minor, ſemine rotundo foliaceo ſeu membranaceo, limbo granulato (id eſt limbo exteriori rotatim, ſeu circulariter, granulis concatenatim cincto) prædita, eſtq; duplex, 1um tordylium Syriacum, ſemine majore, craſſiore, albo, hirto, in margine granulato præditum. Hujus floſculi candidi ſunt. Foliola plurima, anguſta, biuncialia, paulò infra baſin, ſeu ortum radiorum ſuſtinentium ſemina, enata habet, ipſoſque radios ad unciam excedunt longitudine, quæ ſimul cum radiis ipſis concavam conſtituunt ſuperficiem avis nidi inſtar. Planta eſt vix dodrantalis, trimeſtri ſpatio ſemina

mina ſua perficit ; quæ, ſi microſcopio obſerventur, ſunt exterius hirta, majora, alba, & limbo granulato ornata. 2^dum eſt Apulum, granulato etiam præditum ſemine, caule conſtans bipedali, ſemine itidem foliaceo, ſeu membranaceo, intus aureo colore prædito, limbo exteriori granulis plurimis albis cincto : orbis interior omnium horum trium tordyliorum pilis lanuginoſis, ſeu hirtis, ſcatet. Quare Bauhini Fratres, & reliqui authores ſibinvicem mordicùs adhærentes, ſeſeli, caucalidem, aut gingidium has *Umbellas* appellavêre; non capio ; conſule hallucinationes Caſp. Bauh. prælud. noſtr. Botan. pag. 368. & 371. & 372.

Locus & tempus.

Tordylium ſem. minus hirto & limbo quaſi lævi, ſeu parùm granulato (perperam caucalis major Cluſ.) in marginibus foſſarum & aggeribus ſepium, ſponte paſſim circa Blaſas, Londinum, & alibi provenit. 2^dum ex Syria ad nos miſſum inquit Lobelius, qui ait Venetiæ Aleppo Syriæ miſſum, Sequini Martinelli opera. 3um in Italiæ & Galliæ regionibus calidis provenit, ſicut in Apulia teſte Columna. Florent, ſeminaque perficiunt ineunte & durante æſtate, ac citiſſime poſtea pereunt.

Nomina.

1. Tordylium maximum ſphondylii ſemine aculeato, Nobis. Caucalis major, Cluſ. Hiſt. caucalis major ſemine minùs pulchro hirſuto, J. B. Quam ineptè à Cluſio primò, & ab aliis authoribus cæcutientibus, ipſumque gregatim ſequentibus caucalis denominatur, videant & præponderent emunctæ naris Botanici ea quæ ſuprà à nobis dicta ſunt. 2^dum Tordylium Syriacum, nobis. Male à quibuſdam authoribus ſeſeli aut gingidium, ab aliis caucalis. Cum intuenti librum naturæ Tordylii omnes omnino notas ei quadrare manifeſtum ſit, potiore jure Tordylium nobiſcum nuncupabitur. 3^ium Tordylium minimum Apulum, Col. Inepte hoc idem etiam ſeſeli creticum authoribus dicitur. Conſule prælud. noſtr. Botan. pag. 371. & 372.

Temperamentum & vires.

Tordylium ejuſdem mihi videtur eſſe temperamenti cum paſtinaca latifolia, eaſdemque obtinere vires, at in remiſſiore gradu. Propter ſymbolum commune, atque omnimodam omnium partium diſpoſitionem (præter radicem carnoſam, turbinatam, friabilem, craſſam, qua pollet paſtinaca latifolia) eidem debet ſubjungi.

PAnax, ſeu panaces peregrinum. Ultimam hujus generis intermedii conſtituet ſpeciem. Hujus folia ſunt paſtinacæ ſativæ, latifoliæ (quoad foliorum coſtæ mediæ è regione annexionem & figuram) omnino æmula, glabriora tamen, & dilutius virentia, & longa, acuminata : Lapathi folia quodammodo æmulantur multò tamen ſunt minora. Caulis geniculatus, quaternos, quinos cubitos altus. Flores in *Umbellis* lutei, ampli, reflexi. Semine conſtat binatim juncto, membranaceo, compreſſo, paſtinacæ ſativæ latifoliæ majore. Ex hujus vulnerata radice ſuccus æſtivis menſibus manat ſponte concreſcens, odoris quidem exigui, ſed guſtu excalefaciens ; eſt autem facile notu, quod cæteris ſuæ ſortis diutius duret, quippe radice craſſa ſub terram deſcendendo in multos annos ſeſe propagat.

Locus & tempus.

Panaces peregrinum in Italia & Sicilia ſponte creſcit. Floret ſub finem æſtatis, ſemenque ad maturitatem paulo poſt perducit, niſi cælum aut ſolum refragentur ; nam in hoc & ſimilibus plantis, natura adeo eſt intenta productioni ſeu multiplicationi per radicem ut raro ſemen ejuſdem ad perfectionem perveniat, ſaltem in Borealibus tractibus.

Nomina

Nomina.

Panax paſtinacæ folio an Syriacum Theophraſti, C. B. P. Panax alterum recentiorum oluſatri aut paſtinacæ folio ad. Lob. panax Heracleum alterum, ſeu peregrinum Dod^ei, Park. peregrinum, Dod.

Temperamentum & vires.

Panaces peregrinum calidum eſt in 3^io ſiccum in 2do gradu; præcipue gummi, quod ex ejus radice extrahitur opopanax dictum, vulneribus ulceribuſque prodeſt, urinas cit., menſes provocat. De ſeminibus Umbellarum ſemine foliaceo, ſubrotundo, compreſſo, foliis lobatis donatarum, conſule Tabulam Generalem iconum 25. 25. 26. 26. 27. 27. 28. 28. 29. 29. 30. 30. ejuſque explicationem. De foliis, vide Tab. iconum. 8^vam in qua, adinſtar reliquarum umbellarum ſemine membranaceo, compreſſo, rotundo, & foliis fœniculaceis præditarum, ſculpitur anethum, & Tab. icon. 9^nam in qua delineatur & ſculpitur peucedanum. Conſule pariter Tab. icon. 9. ubi adinſtar reliquarum umbellarum ſemine membranaceo, compreſſo, rotundo, foliis lobatis præditarum, ſculpuntur ſphondylium vulgare, paſtinaca latifolia, & Tordylium Syriacum.

SEptimi hujus generis ſubalterni tertium membrum eſto *Umbellarum* ſemine foliaceo, ſubrotundo, & foliis plurifariam diviſis donatarum.

UMBELLÆ SEMINE FOLIACEO SUBROTUNDO & foliis multifariam diviſis donatæ.

Oreoſelinum. ⊙
Libanotis nigra Theophraſti, ſaxifragia Venetorum. Lob. ⊙
Thyſſelium, Dod. ⊙
Seſeli paluſtre lacteſcens, C. B. P. ⊙

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Oreoſelinum. Folia habet plurifariam diviſa, magiſque inciſa quam ſaxifragia venetorum, & minus quam duæ ſequentes. Semen foliaceum, ſubrotundum, compreſſum gerit, ergo male ad apii claſſem refertur, cum omnes apii ſpecies ſint ſemine rotundo, ſtriato prædita, aptiuſque huc à nobis amandatur ad congeneres. Spreta digeſtione authorum retinebimus nomina ab iiſdem aſſignata, ne multitudine nominum recenter aſſignatorum obruatur lectoris memoria. Jungenda jungendis jungo, parum ſolicitus de nomine hoc in loco, quemadmodum paſſim in doctrina generali omnium vegetantium.

Locus & tempus.

Oreoſelinum naſcitur in monticulo dicto Mont-Valerian, quarto ab urbe Lutetia lapide, pago Surenæo imminenti, & in ſylvis ſabuloſis intra ſepta regia Chambort. Floret citius, ſemina ſub exitum æſtatis perficit.

Nomina.

Oreoſelinum majus Cluſ. Dod. Lob. Lugd. apium montanum Dalechampii, Lugd. Oreoſelinum Pariſienſium Hiſt. Lugd. & apium montanum nigrum, C. B. P. Quamvis Caſp. Bauhinus duas diſtinctas in Pinace facit umbellas, eſt una & eadem, foliis dilutius aut obſcurius virentibus, aut à natalibus diverſa facie conſpicua.

Temperamentum & vires.

Oreoſelinum calidum & ſiccum eſt in 2do gradu; craſſos, & phlegmaticos attenuat humores, ſplenis, ſeu lienis tollit obſtructiones, urinam ciet, menſes provocat, icterum abigit. Ejus ſemen, aut radix in ore maſticata aqueſos educit humores.

Libanotis nigra, ſeu ſaxifragia Venetorum, Lob. ad. Huic folia ſunt plurifariam diviſa, longis appenſa pediculis, aliquatenus petroſelini Macedonici diviſurâ aut effigie, rigidiora, glabra, crenata, ſapore remiſſiore quam ejuſdem radix. Caules ſunt ſtriati, binos vel ternos cubitos alti, & in alas diviſi. *Umbellas* ſuſtinent ampliſſimas floſculorum albicantium (more vulgato *Umbellarum*) foliolis quinis conſtantium. Semen fert ſubrotundum, compreſſum, foliaceum, ad paſtinacæ latifoliæ ſemen nonnihil accedens. Quam male ſynonyma hujus traduntur à C. Bauh. & quam negligenter dicitur in deſcriptione ſileris montani 2^di à Cluſio eſſe ſemine ſileris, vix capio; nunquam enim obſervavi hanc plantam niſi ſemine compreſſo, membranaceo; nec Lobelius, Cluſius, aliique bene obſervarunt hujus ſemina.

Locus & Tempus.

Provenit in montibus Helveticis, Sabaudiciſque; invenimus in ſylva Aurelianenſi. Florct ineunte Autumno, & ſemen perficit verſus initium Octobris.

Nomina.

Libanotis nigra, Dod. Geſn. in Hort. Libanotis nigra, cervaria nigra, Thal. Libanotis Theophraſti quorundam folio minus rotundo, J. B. Daucus montanus apii folio major, C. B. P. daucus ſelenoides. 2^dus obſ. & Icon. Lob. ſaxifragia Venetorum ad. Lob. Ejuſdem facultatis eſt cum Oreoſelino, & circa idem tempus floret.

Temperamentum & vires.

Libanotidis, ſeu ſaxifragiæ hujus Venetorum ſemen, calefaciendi vim obtinet; in vino potum urinas movet & tormina alvi ſedat, tuſſes diutinas lenit; œdemata illita ſucco hujus diſcutiuntur. Radix & ſemen in vino macerata & pota contra venenata plurimum valent; at radix & folia vim obtinent ſemine inferiorem. Hoc familiare eſt omnibus ſeminibus ſtirpium, quod viribus & facultatibus folia antecelluut; idque contingit ob aqueam humiditatem, aut ſucci alimentitii mixturam, à qua retunditur vis activa in foliis; hoc magis evidenter apparet in foliis & radicibus paululum exſiccatis, quam adhuc recenter humore alimentitio abundantibus. Idem in caterarum omnium ſtirpium ſeminibus exſiccatis obſervatur.

Thyſſelinum. Folia duarum priorum *Umbellarum* foliis tenuius inciſa habet, dauci vulgaris, carota dicti, ritu. Radices habet varie furcatas, quod paucis aliis *Umbellis* convenit. Succum lacteum folia ejus rupta fundunt. *Umbellam* gerit floſculorum petroſelini inſtar albidorum. Semen eſt ſubrotundum, compreſſum, foliaceum.

Locus & tempus.

In alnetis humidis paſſim circa Blaſas, & juxta lacus in uliginoſis & humidis locis, in ſcrobibus aquas reſides habentibus provenit. Junio ac Julio flores profert; paulo poſt ſemina matura producit.

Nomina.

Thyſſelinum, Plinii. Lob. Thyſſelium, Dod. daucus paluſtris. Geſn. in Hort. olſenichium, Cordi in Hiſtoria. Thal. apium ſylveſtre lacteo ſucco turgens, C. B. P. Thyſſelinum ſive apium paluſtre, Park. apium ſylveſtre, Dod. Apium ſylveſtre, Dod. Thyſſelinum quorundam, planta lacteo ſucco turgens, in locis humidis proveniens, J. B.

Tempe-

Temperamentum & vires.

Radix hujus calida est, & sicca ordine 3^io teste Dod^eo; masticata & commanducata multum ex ore pituitæ prolicit, & dentium dolores sopit; attenuat, incidit, & aperit. Urinas & menses movet, eademque etiam quæ genera reliqua, nec segnius sed efficacius præstat. Teste Plinio lib. 25. c. 11. Thysselinum apio non est dissimile. Radix purgat capitis pituitam. Valerio Cordo dicitur olsenichium, Thysselinum vero quia per ἑλείους θύοσι, id est per loca palustria sese extendit.

SEseli palustre lactescens. Radice provenit singulari, longa, subfusca, ingrato admodum gustu, fervore non exiguo, fauces vellicante. Caulem profert ramosum, cubitalem, flores candidos in *Umbellis*, & semen foliaceum, oblongum, compressum. Folia habet multo tenuius incisa, & longiora quam sunt Thysselini. Utraque hæc *Umbella* Thysselinum, & seseli pratense, lactescunt, & eo nomine à cæteris hujus membri facile discernuntur: à seinvicem autem distinguntur à foliorum magnitudine & parvitate, radicumque dissimilitudine.

Locus & tempus.

Provenit in omnibus pratis humidis circumjacentibus Blæsas, semenque fert sub finem æstatis. Est ejusdem facultatis cum Thysselino.

Nomina.

Seseli palustre lactescens, C. B. P. & Prod. Park. Cam. Seseli palustre lactescens acre, foliis ferulaceis, flore albo, semine lato, J. B.

Temperamentum & vires.

Seseli pratense lactescens calidum est & siccum, ejusque semen stranguriæ conducit, anhelis & susspiriosis medetur, matricis obstructionibus opitulatur menstrua educendo. fœtum mortuum expellit, tusses veteres, aliosq; dolores internos sedat. Si aut radicis aut seminis pulvis in vino albo administretur, concoctionem pariter adjuvat, flatusque expellit, tormina alvi tollit, frigidos humores discutit. Si cum vino & pipere modice mixto bibatur, cum sit sicci & calidi temperamenti, iisdem gaudet facultatibus & viribus, quibus & seseli Massiliense & Anglicanum dictum saxifraga pratensis, aut seseli pratense nostras. De seminibus umbellarum semine foliaceo, subrotundo, compresso, foliis plurifariam divisis, consule Tabulam Generalem iconum seminum 31. 31. 32. 32. 33. 33. 33^a 33^b. De foliis, vide Tabulam 9^nam peucedanum Italicum, sphondylium, pastinacam latifoliam, & tordylium Syriacum & Tab. 10. oreoselinum & Thysselinum atque utriusque Tabulæ explicationem.

OCtavum Genus subalternum *Umbellarum* constituent rostratæ (id est *Umbellæ* quarum flores singuli semina rostrata bina, oblonga, avicularum rostri instar producunt. Easdem *Umbellis* villoso, seu hispido, echinato, seu aculeato semine præditis, dauco, seu carotæ, & caucalidi (propter foliorum similitudinem, cum omnium sint plurifariam divisa) adjunximus.

UMBEL-

UMBELLÆ ROSTRATÆ.

Octavum Genus Umbellarum.

CAPUT VIII.

- *Myrrhis*
  - *annua ſemine ſtriato*
    - *aſpero*
      - *oblongo, nodoſa.* ☿ ♃
      - *brevi, nobis. Nova æquicolorum, Col.* ☿
    - *lævi, nobis. anthriſcus, Plinii Hiſt. Lugd.* ☿ ♃
    - *lævi, tuberoſa, nodoſa, coniophyllon, nobis.* ☿ ♃
    - *villoſo, nobis.* ☿ ♃
  - *perennis ſem. ſtriato*
    - *Alba*
      - *major odorata.* ⊙
      - *minor*
        - *foliis*
          - *hirſutis.* ⊙ ♃
          - *hirſutioribus.* ⊙ ♃
          - *hirſutiſſimis.* ⊙ ♃
    - *Lutea daucoïdes.* ⊙ ♃

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Myrrhis. Adeo ſupra dictis generibus intermediis paſtinacæ tenuifoliæ, ſeu carotæ, forma & inciſura foliorum accedit, ut antequam ſemen producat, ex earum claſſe eſſe quivis diceret. Myrrhis tamen pro nota generica ab ultimo fine (fructificationis ſimilitudine) petita hanc habeto, Omnis Myrrhis debet habere bina ſemina ſtriata, oblonga, inferius craſſiuſcula, ſuperius in mucronem deſinentia, aviculârum roſtris ſimilia: dum adhuc vireſcunt junctim adhærent, exſiccata ſeſe ſeparant; quod in omnibus *Umbellarum* ſeminibus proprie dictarum infallibiliter contingit. Conſule Tabulam generalem iconum ſeminum 34. 34. 35. 35. 36. 36. 37. 37. 38. 38. 39. 39. 39.ª 39.ᵇ A duratione per διχοτομίαν erit nobis annua, vel perennis. Annua prima dicitur, myrrhis annua ſemine ſtriato aſpero, oblongo, nodoſa. Hujus caules ad genicula craſſeſcunt, nodoſque gerunt turbinatos, medulla vacuos, craſſiores tamen quam in ulla *Umbellarum* ſpecie. Flores gerit albos in ſummis caulium bipedalium & tripedalium, quibus fatiſcentibus ſuccedunt ſemina roſtrata bina, ſtriata, aſpera in convexa parte, imo omnibus reliquarum myrrhidum ſeminibus (præter myrrhida odoratam) craſſiora & majora: unde à nodoſitate caulium, flore albo, & ſemine ſtriato, aſpero, quam facillime à reliquis myrrhidum ſpeciebus diſtinguitur. 2ᵈᵃ eſt foliis apii ſimilibus, hirſutis. Semen habet aſperum, parvum, breve, ſtriatum, binatim junctum; eſtque milii majoris magnitudine, aut ſeminis aniſi, veſtibus prætereuntium adhærens, ſapore aromatico, acri parum, & dulci, amarore quodam mixto, non ingrato. Caulem profert ineunte vere (nam folia virent per totam hyemem, hirſutie rarâ mollique obducta) bicubitalem, in locis terrenis; in ſaxoſis vero & glareoſis, brevem, pedalem & bipedalem. Cicutæ foliis (niſi quod parum minora, & dilutius virentia, hirſutie obducta ſunt) valde accedunt hujus myrrhidis folia, cum hoc tamen intercedente diſcrimine, quod hujus *Umbellæ* ſecus alas

ut in

(paluſtris apii & ſii ad alas floridi ritu) hærent, non in ſummis faſtigiis caulium, ut in cicuta, & aliis *Umbelliferis*. 3ia Myrrhis annua ſemine ſtriato, lævi. Hujus folia ſunt petroſelini foliis ſimilia quoad diviſuram, hirſuta, maculis cyaneis, ſubfuſcis conſperſa. Caulem ineunte vere emittit bipedalem. Ad radices ſepium, & foſſarum aggeres frequenter occurrit, in omnibus quas unquam adii regionibus; copioſe etiam in omnibus ſylvis cæduis provenit. Floſculos gerit albicantes, ſemina binatim juncta, ſtriata, lævia; atque ad caulium geniculos ſingulos nodos gerit turbinatos, multo minores, & graciliores quam ſunt myrrhidis nodoſæ ſemine ſtriato, aſpero, ſuprà hic à nobis deſcriptæ; adeo lævitate ſeminum ſtriatorum, & gracilitate tuberoſitatis ventricoſæ, turbinatæ, myrrhis poſterior 3ia annua diſtinguitur à priori; quod cuilibet hæc conſideranti apparet. Conſule pag. 288. Prælud. Botanicorum noſtr. ſub finem pag. & obſervabis ab authoribus male & inattentè hanc *Umbellam*, Cerefolium ſylveſtre dici. Vide deſcriptionem à Dalechampio allatam, in Hiſt. Lugd. de anthriſco Plinii. 4ta eſt nobis myrrhis tuberoſa, nodoſa, coniophyllon, ſemine ſtriato, lævi. A ſemine ſtriato, lævi, ab omnibus (præter prædictum Anthriſcum Plinii) cæteris myrrhidum ſpeciebus diſtinguitur, & ab Anthriſco Plinii à tuberoſitate radicis, nodoſitate caulis ad ſingula genicula majore, & à binis internodiis verſus terram villoſitate ſcatentibus, cæteris ſurſum verſus cicutæ inſtar lævibus, & foliis omnino cicutæ foliorum æmulis ab omnibus reliquis ſuæ ſortis quam facillime diſtinguitur. Vide caput 2dum hujus tractatus infrà de cicutaria bulboſa inter hallucinationes Caſp. Bauhini in cap. de cicutaria. 5ta annua, eſt nobis myrrhis annua ſemine ſtriato, villoſo. Hujus folia primo anno ex ſemine villoſo, ſtriato, oblongo pullularunt plurifariam diviſa, ut carotæ, ſed multo tenuioribus diviſuris prædita. Præcipue ſeſe myrrhidem, non daucum declarat, quod ſemina longa, ſtriata, roſtrata gerat, (eſt enim nota generica omnium myrrhidum ſpeciebus communis, ſemen longum, roſtratum, ſtriatum producere) at hæc inſuper incanum ſeu villoſum, acre, aromaticum fert, adeoque à cæteris diſtinguitur. Male daucus Creticus ſemine hirſuto Johanni Bauhino, & aliis authoribus dicitur, ſecundum doctrinam noſtram ex libro naturæ deſumptam. Perennis eſt alba, major, odorata, ſemine ſtriato: hæc radicem habet inſigniter craſſam, albam, ſapore dulci, ſubacri, grato, aromatico. Ineunte vere caules ſuggerit bicubitales, nonnunquam tricubitales, brachiatos, hirſutos, cavos; folia magna plurifariam diviſa è pediculis alata, & pinnatim pendentia, tactu mollia, hirſuta, ſeu piloſa, ſapore aniſi. Flores gerit candidos, læviter odoratos, quorum ſinguli quinis conſtant petalis bifidis (ut ſphondylii) ſeu cordatis. Hoc quarundam *Umbellarum* floribus peculiare eſt; quemadmodum & aliis, donari foliis ſeu petalis reflexis pariter contingit, præcipue floribus luteis donatis. Vide & conſule Tabulam 2dam Generalem iconum *Umbellarum* à nobis exhibitam, in quâ exhibuimus carotam florentem petalis planis, fœniculum florens petalis reflexis, & ſphondylium florens petalis bifidis, aut cordatis: illic obſervabis extimum petalum intimis duobus oppoſitis utriſque ſimul junctis majus, lateralibus medio modo ſe habentibus. Floribus deciduis ſuccedit ſemen notatu dignum, magnum, longum, ſulcatum, ſulcis profundius ductis præditum, quod maſticatum eſt ſapore dulci & jucundo aniſi: Folia & flores manibus contrectata, & tam guſtui quam olfactui porrecta, omnino ſunt grata & jucunda; hinc illi nomen odoratæ myrrhidis. A ſemine triplò cæterarum ſuæ ſortis ſeminibus majore, major non ſine ratione dicitur. Perennis altera minor à ſemine minore, ſtriato, nunc aureo, nunc ſubfuſco. Hujus ſtriæ, ſulcive ſunt depreſſiores, nec tam alte im-

primuntur, quam ſuperioris majoris. A foliorum hirſutie majori vel minori diſtinguuntur ejus variæ ſpecies. Prior eſt, cicutæ foliis, cujus caulis ſtriatus aſſurgit ad binos ternoſve pedes. Flores albos, & ſemina roſtrata, ſtriata, ſemiuncialia, in cimis gerit exterius lutea, cavâ parte quâ junguntur ſubcærulea; eſt foliis hirſutis, pinnis latioribus, plurifariam diviſis. Secunda hujus datur varietas, cujus folia ſunt hirſutiora, medio modo, ſecta pinnis anguſtioribus reſpectu prioris. Eſt & tertia hujus ſpecies, ſeu varietas ſi mavis, cujus folia adhuc ſunt tenuius diſſecta, & ſemen tenuius, longius, ſubfuſcum. Harum omnium perennium myrrhidum flores ſunt albi. Ultima perennium eſt myrrhis lutea daucoïdes; cujus folia quam proxime carotæ, ſeu dauco accedunt, ideoq; daucoïdes à nobis nuncupatur. Flores habet luteos, quibus ſemina roſtrata, ſtriata, myrrhidis montanæ ſeminibus longiora, & minus tumida ſuccedunt.

Locus & tempus.

Prima Myrrhidis nodoſæ ſemine oblongo, aſpero, natales ignoramus. 2da ſemine brevi, aſpero, provenit in ſuburbiis ad foſſarum aggeres & murorum radices ſponte, & alibi paſſim. 3ia ſemine ſtriato, lævi, in ſepibus & ſylvis annoſis & cæduis paſſim. 4ta Myrrhidum annuarum provenit in Viennenſis agri locis herbidis, & ſimilibus itidem Hungariæ; folia ibidem producit glabra, aliquando hirſuta: floret Maio, & ſemen ad maturitatem perducit Junio & Julio. 5ta provenit in Genevenſium collibus, & in rupibus circa Juram, & copioſe in monte Selene, aliiſque Genevæ vicinis. Floret maio, & paulo poſt ſemina ſua perficit. Major odorata ſponte provenit in Germania. Montana minor & ejus varietates ex Alpibus, & aliis Galliæ, ut Arverniæ montibus celſis. Ultimæ luteæ ignoratur locus natalis.

Nomina.

Prima myrrhis annua nodoſa, ſemine aſpero, longo, nobis primò dicta & ſcripta. 2da myrrhis annua ſemine aſpero, brevi, nobis. Sylveſtris ſeminibus aſperis, C. B. P. ſylveſtris nova æquicolorum, Colum. 3ia Myrrhis annua ſemine ſtriato, lævi, nobis. Anthriſcus Plinii Lugd. Perperam cerefolium ſylveſtre Neotericis, ſeu modernis mordicus adhærentibus Caſp. Bauhino, & eundem errorem cum ipſo errantibus dicitur, vide pag. 288. Prælud. Botan. noſtr. 4ta dicitur myrrhis tuberoſa, nodoſa, coniophyllon, ſemine ſtriato, lævi, nobis, Bulbocaſtanum coniophyllon, Cam. cicutaria Pannonica, Cluſ. Myrrhis cicutaria Tab. 5ta dicitur nobis myrrhis annua ſemine ſtriato villoſo & incano. Daucus Creticus, Cam. ep. Daucus Creticus, ſem. hirſuto, J. B. daucus 2dus Dioſcoridis, Matth. ed. Bauh. prima myrrhidum perennium, major, ſeu cicutaria odorata, C. B. P. myrrhis Matth. Lugd. Dod. ſativa Cam. 2da 3ia 4ta perennium, ut à nobis in Tabula, aſſignata habent nomina. Ultima ab umbella, lutea; à dauci pariter foliorum ſimilitudine, Daucoïdes à nobis apte dicitur.

Temperamentum & vires.

Myrrhis calida in 2do gradu eſt, & partium ſubtilium, ſeu tenuium. Teſte Galeno radix myrrhidis odorata, ſi ebulliatur & cum oleo comedatur, pthyſicis opem fert; eadem comeſta præſervat à peſte. Qui plura deſiderat conſulat Joh. Bauh. Tom. 3. Part. 2. pag. 77. & 78. De ſeminibus umbellarum roſtratarum, conſule Tabulam Generalem Icon. ſeminum 34. 34. 35. 35. 36. 36. 37. 37. 38. 38. 39. 39. 39.a 39.b ibi finiuntur myrrhidum ſemina. Conſule etiam ejuſdem Tab. explicationem.

Cerefolium { *ſativum, Trag.* ☿
ſylveſtre, perenne, ſeminibus lævibus nigris. ☉ ♋

Scandix. ☿

Explicatio Tabulæ præcedentis.

CErefolium. Nulla aut exigua nota quoad folia, à myrrhide poteſt diſtingui, ac proinde ejuſdem poteſt accenſeri ſpecies, ſolo ſemine lævi, nigro; aut ſubfuſco differens

ferens à myrrhide, cujus in genere omnia ſemina ſunt ſtriata, ſeu ſulcata. Eſt autem duplex, vel ſativum, minus, hortis familiare, tam in juſculis quam in acetariis expetitum, annuum, ſingulis annis ex ſatione propagatum, ab hortis culinariis aut holeraceis præfectis. Vel ſylveſtre, quod multo majus eſt, foliaque habet majora, caules majores & ſolidiores, medulla duriori plenos, ſtriatos, bicubitales & tricubitales. Semina lævia, nigra, duplo-cerefolii ſativi ſemine majora producit, duratque in multos annos. Vide hallucinationes Caſp. Bauh. ſupra citatas.

Locus & tempus.

Prius ſativum apud omnes gentes in hortis colitur, ut culinæ inſerviat miſcendis partim juſculis carnium elixis, partim acetariis condiendis. Secundum in pratis & foſſarum aggeribus paſſim tam in Gallia quam in Britannia maximo detrimento pratorum, in quibus copioſe aliquando provenit. Flores edunt æſtate, & paulo poſt ſemina perficiunt.

Nomina.

1um Cerefolium ſativum, C. B. P. Joh. Bauh. vulgare, Ger. 2dum ſylveſtre perenne ſeminibus lævibus, nigris, nobis. Magnopere confundit Bauhinus ſynonyma cerefolii & myrrhidis ſylveſtris; ut alibi ſupra innuimus.

Temperamentum & vires.

Cerefolium moderate calidum & humidum ſanguinem extravaſatum, ſive intus ſive extra congelatum, diſcutit & diſpellit, ſtigmata tollit; ſi ſimul jure ejus intus adminiſtrato applicentur exterius folia contrita, & parti affectæ admota, pluritidi aliiſque laterum doloribus medentur. Ad icterum accipe ſucci cerefolii cochlearia 8. quibus infunde ℥ j. triti Marrubii, & calide propina diebus aliquot continuis. Cum melle ſuccus remiſtus & hauſtus confert tuſſi; ſi in Butyro frigatur cerefolium, & ſuperponatur abdomini, certum eſt contra tormina alvi remedium. Qui plura deſiderat conſulat Joh. Bauh. Tom. 3. Part. 2. pag. 76. & 77. qui prolixe ſatis ibidem de cerefolii viribus agit.

Scandix. Ultimum eſt roſtratarum *Umbellarum* genus intermedium. Flores gerit cerefolio proximos, albicantes minimos, quorum ſingulis ſuccedunt cornicula tenuia, longiſſima, triuncialia, recta, acuminata, acubus, quæ in geranio Cretico emicant, non diſſimilia; quemadmodum in cerefolio majore, odorato viſuntur; licet Scandici longe tenuiora & fragiliora innaſcantur: quo fit ut recte intuentibus & bene conſiderantibus, ſpecie tantum, non genere differre hæ plantæ haud dubie appareant: id quoque indicant eorum ſapor & odor. Quæ omnia nos movêre, myrrhidem, cerefolium, & ſcandicem in eadem Tabula Generica exhibere. Ad baſim roſtri ſunt bina ſemina læviter ſtriata, quæ à fibrilla media hinc inde maturo ſemine & exſiccato deſiliunt in duas partes, manente in medio fibrilla membranacea, tenui, alba, ſimili quodammodo aceri tritici, aut hordei. Conſule Tabulam Generalem ſeminum. ubi 42. indicat roſtrum ſeminis ſcandicis ex fibrilla & binis quaſi lateralibus glumis conflatum, & in mucronem pungentem terminatum. B. demonſtrat fibrillam in medio, hinc inde ſemina adhuc viridia nutrientem, radiorumque partem. A. A. indigitant bina ſemina ſtriata, ad baſin hiulca, & aperta, C. C. monſtrant ſeminis ſingularis partem cavam, ejuſque productionem glumoſam, cavam itidem, in qua cavitate canalata, reſupinata cernere licet fibrillam cujus beneficio ſemina adhuc viridia, nutrimentum ſuſcipiebant.

Locus & tempus.

Scandix provenit in Arvis ſegetalibus paſſim. Floret ſub exitum veris & per totam æſtatem. Semina verſus finem æſtatis perficit.

Nomina

Nomina.

Scandix ſemine roſtrato vulgaris, C. B. P. Scandix Dod. Tab. Cord. in Dioſcoridem. Pecten veneris Matth. Lugd. Ger. J. B. Scandix vulgaris, ſeu pecten veneris, Park.

Temperamentum & vires.

Radix ſcandicis, cum malva tuſa, omnia corporis infixa extrahit, id quod per ſignaturam oſtendiſſe creditur natura (in acubus ſeminum) authoribus ſi credere fas eſt. Folia antequam floreat cum butyro & oleo, una cum petroſelini foliis in patella calefacta, & cum vino albo pubi adhibita, remorantem urinam, pueris præſertim provocat. De ſeminibus cerefoliorum, conſule Tab. Generalem Icon. ſeminum 40. 40. 41. 41. ejuſque explicationem. De ſemine ſcandicis conſule Tabulam Generalem ſeminum 42. AA. B.

UMBELLÆ ROTUNDÆ, SEU TESTICULATÆ.

Nonum Genus Umbellarum.

CAPUT IX.

Coriandrum { *ſativum, ſeu majus.* ♀
ſylveſtre fœtidiſſimum. ♀

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Coriandrum. Ab omnibus *Umbellis* prædictis facile dignoſcitur, quod folia, cæteræque partes virentes, cimices odore teterrimo (ſi contrectentur) redoleant, ac inſuper ſemine rotundo donetur. Eſt autem duplex, vulgare unum, ſeu ſativum, cujus caulis eſt cubitalis, aut ſeſquicubitalis. Folia primùm aniſi, aut potius petroſelini more vigent, deinde in ſuperioribus ramis tenuius diſſecantur, & ad chamæmeli accedunt folia. *Umbellæ* florum colore ſunt propemodum carneo, magis tamen ad album vergente, ſemen exacte rotundum, ſtriatum, vacuum, ac binatim junctum, cujus ſingula ſemina ſeparata cotylen intus referunt. Semina exſiccata odore ſunt & ſapore gratiſſimo, ac aromatico; aceto macerata, ventoſos flatus per inteſtina expellunt, proinde ex carminativis ſeminibus ſunt efficaciſſima. Alterum eſt ſylveſtre fœtidiſſimum, à priori diſcrepans in hiſce; foliis eſt multò tenuioribus donatum, virens multo magis putidum edit fœtorem; ſemina bina, rotunda, in ſingulis radiolis, teſticulorum in modum ſimul juncta ſunt, parte qua junguntur binis foraminibus pervia. Vide Tabulam Generalem Iconum ſeminum 43. 43. 44. 44.

Locus & tempus.

Prioris, ſeu ſativi natales nos latent. 2dum inter ſegetes circa Pictaviam copioſe provenit. Flores & ſemina media æſtate perficiuntur.

Nomina.

Prius, ſeu ſativum coriandrum majus, C. B. P. Coriandrum vulgare, Park. coriandrum, Ger. J. B. 2dum coriandrum fœtidiſſimum ſylveſtre, C. B. P. ſylveſtre Myconi Hiſt. Lugd. J. B.

Tem-

Temperamentum & vires.

Semen ejus vino maceratum vermes in inteſtinis latantes interimit. Stomacho (quippe calidum & ſiccum) confert, eumque corroborat, cibum in ventriculo retinet, donec probe concoquatur. Semen ſtomacho proficuum, concoctionem juvat, vaporum ſurſum eruptionem, flatuumque impetum ſiſtit. Vide plura apud Joh. Bauh. pag. 89. 90. & 91. De ſeminibus coriandrorum, conſule Tab. Generalem icon. ſeminum. 43. 43. 44. 44 & φ. χ.

UMBELLÆ IMPROPRIE DICTAE.

CUm ab initio (ut in deſcriptione *Umbellæ* dictum fuit) omnis *Umbella*, poſt flores ex quinis petalis conſtatos evanidos, debeat conſtanti & invariabili naturæ ordine *Umbellis* præſcripto, producere bina ſemina, cujuſcunque formæ aut figuræ ſint eadem, ex defectu hujus ultimæ conditionis, ſequentes delineandæ plantæ, non ſunt pro proprie dictis *Umbellis* accenſendæ. Verum cum valeriana & valerianella flores producunt quinque petalis conſtantes, atque folia lobatim diſſecta, inſtar, *Umbellarum* hic collocabuntur. Item valerianam Græcam (propter folia pinnatim rachi, ſeu coſtæ mediæ adhærentia, quarundam *umbellarum* more, etiamſi per ſe ſit planta ſui generis) ſicut & Pimpinellam ſanguiſorbam, filipendulam, barbam capræ, & thalictrum, propter conformitatem in foliorum diſpoſitione cum quibuſdam *umbellis*, tanquam appendicem ad calcem *umbellarum* rejecimus. Alicubi ſunt collocandæ, nec aptius ex mea opinione quam huc reduci poſſunt; qui melius eaſdem diſpoſuerit, quam poſt *umbellas* proprie dictas ſuperius collocatas, & ad novem genera ſubalterna redactas, per me non ſtabit. Jam tandem adjungo primum Genus *umbellarum* improprie ſic dictarum; eſtque earum, quarum ſemina unica & ſingularia in apice ſuperiori pappo donantur.

PRIMUM GENUS UMBELLARUM IMPROPRIE DICTARUM est earum quæ abeunt in pappos.

VALERIANÆ.

CAPUT I.

- *Valeriana*
  - *major*
    - *hortensis* ☉
    - *sylvestris*
      - *foliis latioribus.* ☉
      - *foliis angustioribus.* ☉ ♃
  - *minor*
    - *annua æstiva, Clus.* ♀
    - *perennis palustris.* ☉
  - *marina*
    - *latifolia, seu major*
      - *rubra.* ☉
      - *alba.* ☉
    - *angustifolia, seu minor*
      - *rubra.* ☉
      - *alba.* ☉
  - *montana*
    - *folio lævi, glauco.* ☉
    - *folio aspero*
      - *radice olivari.* ☉
      - *radice fibrosa.* ☉
  - *Canadensis urticæ folio, Corn.* ☉

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Valerianæ nota generica & essentialis esto papposum semen; quod quia non est geminum, seu binatim junctum, *Umbellam* propriè dictam non constituit: verum quia Valerianæ flores ferunt, ut *Umbellæ* propriè dictæ, quinis petalis constantes, & folia binatim mediæ costæ adhærentia habent, easdem ad *Umbellarum* propriè dictarum calcem reduximus. Valeriana est primò major, eaque duplex, hortensis una, quæ folia inferiora & prima per terram strata habet integra, media centaurii majoris modo profunde dissecta, flores in *umbella* suaveolentes, albos, aut ex albo purpurascentes, quorum singuli quinis petalis, seu foliolis constant & apiculis concoloribus. Semina unice & singulatim cum lanugine quadam papposa avolant. Radix subest crassa, rugosa, multis fibris transversis donata, albicantibus, sapore & odore aromatico, radicum fere asari. Altera, seu 2da est sylvestris, in humidis proveniens, cujus radix ex pluribus fibris albis, gustu aromatico, composita est; rependo sese propagat, caules multo altius superioris ascendunt, ad quinos aliquando

quando pedes ; ad quorum genicula, folia valerianæ ſativæ foliis magis pinnata, & ſaturatius virentia proveniunt, nonnihil averſa parte hirſuta. Flores pariter in *umbella* ſativæ ſunt ſimiles, quinquefolii, ſeu pentapetali, albidi, coloſinive coloris. Ingratum edunt odorem quaſi hircum olentem, tandemque cæterarum more in pappos faceſſunt. Eſt hujus duplex varietas, una foliis latioribus, & dilute virentibus, hirſutis ; altera foliis lobatim etiam ſectis, minus hirſutis, anguſtioribus, & ſaturatius virentibus. Valeriana 3^tia^ eſt minor annua, ſeu æſtiva, quæ folia habet laciniata, inſtar foliorum calcitrapæ vulgo ſic appellatæ, inter quæ exſurgunt caules ramoſi, bipedales, quos ex adverſo amplectuntur folia, inferioribus minora, etiam laciniata. In ſummis caulibus ſuſtinentur flores pentapetali prædictarum more. Semina itidem paria pappoſa vento avolantia. Eſt 4ta minor, perennium una, quæ radicem ſerpentem, caulem pedalem & ſeſquipedalem, folia ima & verſus terram ſtrata habet, integra, parva, ſubrotunda, Violæ Martiæ pene ſimilia ; alia in caule conſpiciuntur binatim juncta, in ſumma parte laciniata, lobata, & oblonga, è regione pediculo adnexa. Sapore eſt nonnihil amaro & viſcido. Marina duplex eſt, latifolia prior, cujus caules cubitales & ſeſquicubitales ſunt, ad quorum genicula folia ſunt bina, adverſa, ex lata baſi caulem amplectentia, & in acumen definentia, perraro laciniis diviſa, pinguia, glauca, papaveris ſpumei vulgo dicti folia utplurimum referentia. Flores in muſcariis conſpiciuntur conferti, peramœni, colore purpuraſcente ; ſinguli etiam quinquepartiti, tubulo oblongo, ſed admodum tenui, virenti pedicello agglutinantur, corniculum inſuper calcaris inſtar protendentes. Semina pappoſâ criſtâ, cæterarum ſuæ ſortis modo, ornata ſuccedunt. Gaudet communiter flore rubello, aliquando albo. Altera Marina eſt anguſtifolia, ſeu minor, quæ in omnibus cum priore quadrat, niſi quod folia producat palmi fere longitudine, latitudine culmi compreſſi. Variat etiam (ſed rarius conſpicitur) flore albo. Proxima eſt Montana, quæ ratione lævitatis & aſperitatis foliorum eſt aut folio lævi, glauco, bellidis montanæ foliorum ferme æmulo, laciniis perrarò in margine crenato, è quorum medio caulis aſſurgit pedalis, rara habens folia diſſecta, inter ſe oppoſita, anguſtiora, & minora. In ſupremis ramulis floſculi proveniunt albi, reliquis valerianæ ſylveſtris ſpeciebus ſimiles. Semen itidem par; radix non minus odora. Vel eſt folio aſpero, eaque duplex, radice olivari, & fibroſa. Prima nardus montana major, tuberoſam habet radicem, cui aliæ minores adnaſcuntur, olivæ magnitudine tanquam ſoboles. Fibris capillaribus ſeſe nutrit & propagat, multa edit folia in principio integra, oblonga, atrovirentia, aſpera (non ſplendentia) ſuperne. Deinde caules alis in lacinias diſſectis (uti in valerianæ ſativæ majoris foliis) ſed minoribus ornantur. Flores & ſemina cæterarum valerianarum modo proveniunt. Radix etiam odorata, valerianæ ſylveſtris radicibus odore valde accedit. Eſt & altera ex radice fibroſa aſſurgens cauliculo pedali, tereti, rotundo, viridi, quem ambiunt ſubrotunda folia in aliquot crenas profundiores diviſa in inferiore parte, at in ſuperiore caulis parte folia binatim è regione proveniunt, profundius crenata, in acumen definentia. Flores & ſemina ut in aliis valerianæ generibus producuntur. Radice ſerpit nodoſa, albicante, odorata, ex qua capillares fibræ dependent, beneficio quarum nutritur ipſa planta, quibuſque præcipue diſtinguitur à priore, olivari radice. Nec ego diſtinctionem inter valerianam & nardum montanam, eſſentialem invenio, ideo indiſcriminatim verbo valeriana, aut nardus, utor. Ultima in ſuperiori Tabula contenta, eſt Canadenſis urticæ foliis, Corn. Hujus radix, ut in maxima valerianarum parte cernere licet

licet, in ſumma terræ ſuperficie leviter hæret, aliquando fibras detegendo aprica-tionis tam eſt avida, ſupra terram apparent fibræ, quæ odorem, & ſaporem nardo haud inferiorem ſuffundunt, contrectatæ manibus & maſticatæ. Caules emittit in umbroſis bicubitales, qui in ramulos multos, ſeu alas finduntur, quibus innaſcuntur *Umbellatim*, ſeu corymbatim innumeri floſculi albi, pentapetali, apicibus ejuſdem coloris è fundo florum emergentibus, quibus flacceſcentibus ſuccedunt ſingulis, ſingula minuta ſemina nigra, aceroſa, pappo ſuo in apice prædita, ſeu ornata. Folia autem caulem binatim ex adverſo à caulis radice ad ejuſdem ſummum faſtigium ambiunt, & ex pediculis ſemiuncialibus à caulibus dependent, folia latiora verſus pediculum tandem in acumen definunt, urticæ inſtar ſerrata, ejuſdemque figuræ cum urtica majore.

Locus & tempus.

Prima, ſeu valeriana major mas oritur ſponte teſte Dioſcoride in Ponto, in humidis illic vallibus, ad montium radices ſitis. 2da & 3ia in humidis ſylvis, frequenter etiam ad crepidines amnium, 2da rarius tertia; inter numeroſam catervam vulgaris ſylveſtris conſpicitur in ſylvis umbroſis humectis. 4ta eſt à Cluſio depicta, & exhibita: ſed natales ab ipſo omittuntur. 5ta in pratis humidis paſſim occurrit. Marinarum latifoliæ & anguſtifoliæ ignoratur locus natalis peculiaris, niſi quod marinæ in genere dicantur. 8va in monte Baldo (referente Bauhino in prod.) reperitur. 9na inter ſaxa ad fluvium Mintz, qui Monaſterium Neubourg alluit teſte Cluſio. 10ma in monte Virgineo reperta, & ad Cluſium Neapole, à Ferrante Imperato miſſa. 11ma in Stiriæ, & Auſtriæ montibus, & in Alpibus, lociſq; umbroſis reperitur. Ultima ex Canada Pariſios miſſa, culta & propagata Mangonio & vigilantia præceptoris mei (quinis abhinc luſtris) meritiſſimi, & Botanices peritiſſimi Veſpaſiani Robini, qui Pariſiis omnes Canadenſes plantas in horto Regio Botanico (à Jacobo Cornuto præceptore meo ſub idem tempus concinne & ſuccincte deſcriptas) coluit, multaſque alias rariores poſtea apud ipſum ibidem obſervavimus. Florent omnes ab ineunte æſtate, ad ejuſdem exitum; ſemina ſua perficiunt paulo poſt.

Nomina.

Prima dicitur valeriana hortenſis, Dod. Ger. valeriana major odorata radice, J. B. Phu majus; ſeu valeriana major, Park. valeriana vera, ſeu nardus agreſtis, Trag. Phu verum, Fuch. 2da valeriana ſylveſtris major, C. B. P. ſylveſtris, Dod. Cam. Eyſt. Phu majus commune, Geſn. hort. hujus datur varietas latiore folio à Park. deſcripta, quæ in horto Regio Blæſenſi ad multos annos diſtincta ſemper apparuit. 4ta valeriana foliis calcitrapæ, C. B. P. annua, ſeu æſtiva, Cluſ. in Hiſt. valeriana petrea, Park. 5ta valeriana paluſtris minor, C. B. P. ſylveſtris ſeu paluſtris minor Cam. ſylveſtris, Park. minor pratenſis vel aquatica, J. B. Phu minimum Matth. Lugd. 6ta rubra C. B. P. Dod. Tab. Ger. rubra Dodei Park. rubra latifolia, J. B. ocymaſtrum valerianthos, Lob. ad. Phu peregrinum, Cam. Epit. variat flore albo. 7ma eſt marina rubra anguſtifolia, C. B. in Prod. J. B. ab authore poſteriore figuratur. 8va valeriana folio lævi glauco, nobis. Nardus montana radice oblonga, C. B. P. Valeriana minima nardifolia, J. B. Nardus montana longiori radice, Park. 10ma valeriana montana radice olivari, nobis. Nardus montana radice olivari, C. B. P. Matth. Lob. ad. Lugd. Cluſ. Nardus montana primum germinans, Park. Cluſ. 11ma valeriana Alpina altera, C. B. P. ſylveſtris Alpina 1. latifolia, Cluſ. Alpina, J. B. ultima valeriana, urticæ folio, flore albo, Corn. cacalia americana Park. qui falſo aſſerit contra Cornutum hujus radicem non eſſe odoratam, penes experientes & olfacientes eſto fides.

Temperamentum & vires.

Radix valerianæ vim habet calefaciendi; arida, trita & potui data ciet urinas, quod & idem præſtat ipſius decoctum, folia & radices oris & gingivarum cum inflammatione exulcerationibus decocta & gargariſata proſunt. Radicis ſuccus flatus pellit; ejus decoctum lateris compunctionibus auxiliatur; idem præſtat adverſus ſtranguriam. Tuſſim veterem & aſthma cum glycyrrhiza, uvis paſſis & aniſo decocta tollit. Additur quoque in potionibus pro internis vulneribus in vino aut aqua decocta. Miſcetur antidotis, ut Theriacæ & Mithridatio, aliiſque medicamentis præſervativis à veneno venenatarum beſtiarum; atque ipſi poſti reſiſtat. De cæteris ejus facultatibus conſule Joh. Bauh. Tom. 3. Part. 2. pag. 210. De valerianæ ſemine pappoſo conſule Tab. Generalem Icon. ſeminum 45. 45. 46. 46. Vide tabulam Icon. 11. De valerianis:

Secundum

SEcundum genus *Umbellarum* improprie ſic dictarum conſtituunt valerianellæ. Cum floſculos *Umbellatim* in ſummis caulium ramuſculis ferant, atque eoſdem pentapetalos, aliquam habent cum umbellis analogiam; ſed cum bina non producant ſemina (una excepta arvenſi præcoci, humiliori, ſemine depreſſo) eaſdem hic inter umbellas impropriè dictas diſpoſuimus.

VALERIANELLÆ.

Secundum Genus ſubalternum Umbellarum improprie dictarum.

CAPUT II.

- *Valerianella*
  - *Cornucopoïdes*
    - *rubra, ſeu Indica, Cluſ.* ☿
    - *echinata, alba, Col.* ☿.
  - *ſcabioſæ ſem.*
    - *major Luſitanica.* ☿ ♃
    - *arvenſis noſtras.* ☿
  - *umbilicato ſem.*
    - *nudo*
      - *rotundo.* ☿
      - *oblongo.* ☿
    - *hirſuto*
      - *majore.* ☿ ♃
      - *minore.* ☿ ♃
  - *arvenſis*
    - *præcox, humilior, ſemine depreſſo.* ☿
    - *ſerotina, altior, ſemine turgidiore.* ☿ ♃

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Valerianella. Sic dicta authoribus modernis, quaſi parva valeriana. Hoc ſolum cum valeriana habet commune quod floſculos producit *Umbellatim* pentapetalos, ut & omnes *Umbellæ* proprie dictæ, & propter hanc analogiam cum *Umbellis* huc ad calcem *Umbellarum* cum valeriana rejecimus. Semina diverſiformia ſunt, etiamſi flores ſint fere omnes conſimiles. Primum valerianellæ genus ſubalternum eſt, ſeminis capſula membranacea præditum, cornucopiæ quadantenus ſimile, unde ei nomen cornucopoïdes. Eſt duplex, Indica rubra, vel echinata alba. Valeriana rubra Indica, cubitalis eſt planta, radice nititur tenui, brevi, candida, multis fibris capillata, ſapore amaricante; caules habet repandos, ſupinos, inanes, & ſubrubentes, foliis ex adverſo conjugatim caulibus adhærentibus, ſuperioribus crenatis, inferioribus ſine crenis naſcentibus, valerianæ ſativæ ſimilibus. Flores quaſi in *Umbella* inodori, ſuaverubentes, in quina petala, ſeu foliola diſſecti, ex longo tenuique corniculo pendentes: hiſce decidentibus ſuccedunt vaſcula oblonga, fungoſa, per articulos diſtincta, in calyces plures diviſa, in quibus vaſculum apparet, velut in foliaceum corniculum bipartitum, in quo latitat ſemen cartilagineum, longiuſcu-

lum. Vide in Tabula Generali Iconum ſeminum ABC, DE. 47. 2da cornucopoïdes echinata, alba, Col. Caulium omnium plantarum partes ſuperiores natura ſunt tenuiores, aſt in priori nuperrimè traditâ, & hac, ſunt craſſiores; idem obſervavimus in hieracio 9no Cluſ. cujus caulis eſt ad calycem floris triplò major, & fiſtuloſior quam ſub exortum è terra; deinde ob rariorem capſulæ cartilagineæ formam, cornucopiam ab antiquis memoratam, & depictam exprimentem, valerianella dicitur (apte ſatis) cornucopoïdes. Folia, & flores aliarum modo profert, ſed tam floribus quam fructibus onuſta planta cornucopiam æmulatur cacuminibus in quibus, tubuli parum compreſſi, nunc craſſiores, & breviores inverſam pyramidem effigiant, nunc latiores & craſſiores in ſummo ſunt hi fructus corniculati, qui aduncis inſident capſulis cornucopiæ inſtar. Vide Tabulam Generalem Icon. ſeminum 48. & G. 2dum Genus ſubalternum valerianellarum eſt ſcabioſæ capitulo, quod ſemina ejus ſtellata arcte ſibi invicem adhærent, ita ut ſcabioſæ capitulum rotundum referant. Eſtque pariter duplex, major, & minor, ſola magnitudine & parvitate diſcrepantes; major Luſitanica aut Italica, quæ reſpectu ſeminis duplo eſt major noſtrate Gallica; poſt enim ſationem utriuſque in eodem pingui ſolo, foliis non multum inter ſe diſcrepant. Luſitanica folia habet ſerrata, quod non contingit in noſtrate, quæ in omnibus Luſitanicæ eſt par, exceptis foliis non ſerratis, & magnitudine ſeminum. 3ium Genus ſubalternum eſt ſemine umbilicato, ſeu (ſi mavis) in medio concavo; eſtque duplex, alterum ſemine umbilicato, nudo: atque hoc etiam vel ſemine eſt umbilicato, nudo, rotundo; vel oblongo. Rotundum ſemen nudum eſt umbilici ad modum, in medio concavum, parte prona videlicet, parte autem ſupina convexum: vel eſt oblongum etiam nudum & umbilicatum, quod in longitudinem porrigitur cavum prona itidem parte, ſupina autem convexum: hoc albidiore tingitur colore, illud rufo magis afficitur. Alterum membrum ſemine umbilicato eſt hirſutum. Vel majus cavum in medio & extremo ſuperficiei pronæ, vel hirſutum minus, cavum, ſimpliciter in medio ſuperficiei pronæ. 4tum Genus ſubalternum, eſt valerianella arvenſis, eaque duplex, præcox, & ſerotina, præcox eſt humilior, ſemine binatim juncto (more *Umbellarum* perfectarum & proprie dictarum) compreſſiore, parum convexo; (hoc non conſpicitur in ulla alia valerianellarum ſpecie.) Floſculos producit nonnunquam albos, ſed ut plurimum ſubcæruleos, parvos, & quaſi obtutum fugientes, quinis ſegmentis conſtantes. Exeunte hyeme floret, & paulo poſt ſemen perficit ſuum, ſemper binatim arcte ſibiinvicem junctum. Conſule Tab. Generalem ſeminum 58. & 59. ubi eadem offertur viſui, ſemine duplici adhuc junncto, & ſemine duplici hiulco, & binatim à fibrillis ſuis pendente, eſt enim perfecta umbella, ac ptoinde à cæteris omnibus ſuæ ſortis cognoſcitur. Altera arvenſis ſerotina altior ſemine turgidiore dicitur nobis; eſt enim pedali aut ſeſquipedali caule, (prior arvenſis eſt tantum plantula palmaris aut ſeſquipalmaris) flores candicantes ferente, in *umbellis* ſatis denſe diſpoſitos. Omnium tardiſſime provenit. Floret enim ſub auguſti initium inter ſegetes circa Blæſas, atque paulo poſt ſemine craſſiore & turgidiore prægnans reperitur. Conſule infra; ubi omnium harum ſuccinctam & brevem inter cæteras *Umbellas* non delineatas in hoc tractatu deſcriptionem annexuimus. Omnes hæ valerianellæ facillime à ſeminibus diverſimode conſtructis diſtinguuntur. Conſule Tab. Generalem Icon. ſeminum 47. ABC. DE. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. Explicatio ejuſdem Tabulæ Generalis icon. ſeminum omnium harum, ſicut & prædictarum *Umbellarum* ſemina indigitabit.

Locus

Locus & tempus.

Valeriana, ſeu valerianella Indica, ſeu rubra, Cluſ. in Sicilia & aliis maris Mediterranei Inſulis ſponte provenit. 2da cornucopoïdes inter ſegetes Galliæ Meridionalis, & in regno Neapolitano. 3ia ſcabioſæ capitula, Luſitanica, in Italiæ & Hiſpaniæ locis frugiferis provenit. Altera ſcabioſæ capitulo, noſtras, in agris frumentaceis circa Blæſas, citra pontem, & copioſe in agris frumento conſitis circa Pictaviam. Quinta in agris cultis circa Monſpeſſulum. 6ta in collibus aridis minime herbidis, quibus inædificatur cella Eremitarum, juxta Blæſas. 7ma & 8va in planitie dicta Vatan, in Picardia. Arvenſis præcox, & ſerotina altior, paſſim in agris cultis circa Blæſas, alibique etiam in hortis cultis.

Nomina.

Prima valeriana cornucopoïdes peregrina, ſeu Siciliana, nobis. indica, Cluſ. Indica, ſive Mexicana, Park. peregrina purpurea, albave, J. B. 2da valerianella echinata Caſp. Bauh. in Pin. valerianella cornucopoïdes echinata, Col. 3ia valerianella ſemine ſtellato, C. B. P. altera tenuifolia ſemine ſcabioſæ ſtellato, Col. ſtellato ſemine, ſeu ſcabioſæ, major Luſitanica, nobis. 4ta valerianella Arvenſis ſcabioſæ ſemine noſtras, nobis, ut in Tabula exhibetur. 5ta valerianella ſemine umbilicato, rotundo, nudo, nobis. Altera nudo, umbilicato, & brevi ſemine, Col. Caſp. Bauhinus modo dubitandi an ſit eadem cum majore inodoro campeſtri quærit, ſed ſunt omnino diverſæ ſpecies, ut cuilibet facile eſt videre ex ſeminibus diverſis exhibitis in Tab. Generali Icon. ſeminum. Vide ibidem 50. 51. 58. & 59. 6ta valerianella ſemine umbilicato, nudo, oblongo, nobis. 7ma valerianella ſemine umbilicato, hirſuto, majore, nobis. 8va valerianella ſemine umbilicato, hirſuto, minore, nobis. 9na valerianella arvenſis præcox, humilis, ſemine compreſſo, nobis. Lactuca agnina, Park. Ger. Tab. locuſta altera foliis ſerratis, J. B. olus album, Dod. 10ma valerianella ſerotina, altior, ſemine turgidiori, nobis.

Temperamentum & vires.

Valerianellæ hæ omnes refrigerant, ac humectant in acetariis. Germinant Autumno, atque hyemis rigorem cum ſegetibus maxima pars tolerat; ac ſub exitum hyemis cum aceto, oleo & ſale in Gallia, Italia, & Germania & etiam hic in Anglia, ab infimæ ſortis hominibus cum voluptate comeduntur.

VALERIANA GRÆCA.

Tertium Genus ſubalternum umbellarum improprie dictarum.

CAPUT III.

Valeriana Græca { *violacea.* ⊙. / *alba.* ⊙

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Valeriana Græca. Sic authoribus neotericis dicta. Nullam habet cum *Umbellis* ſimilitudinem, nec cum valeriana, niſi quod folia valerianæ ſylveſtris foliis conjugatim, ſeu pinnatim diſpoſitis ſimilia & conformia gerat; nam flores confertim multos in caulis faſtigio ſuggerit radix, non in unum folium continuos, campanulæ ritu, verum è quinis petalis compoſitos. Magis gratia coloris cærulei, vel albi, quam alicujus uſus aut in culina, aut, Medicina in hortis coluntur & conſervantur, nam fœtidum olfacienti afflant odorem. Ex florum medio exeunt (præter tricipitem ſtilum violaceum productiorem) ſtamina concoloria apicibus croceis. Floribus fatiſcentibus ſuccedunt capſulæ membranaceæ, continentes in ſe plurima minuta ſemina ſubnigra. Radix conſtat plurimis fibris nigris, nullatenus valerianam redolentibus. Ab omnibus qui de ea ſcripſêre dicitur valeriana Græca, aut peregrina

regrina. Naſcitur in Græcia, floret apud nos Julio menſe, ſemenque paulo poſt perficit ; eſt planta heterogenea & omnino ſui generis, ideoque inter heteroclitas collocanda. Alicubi eſſet diſponenda, nos hic collocavimus ; ubicunque doctiores in arte diſpoſuerint per me non ſtabit. De valerianæ Græcæ capſula ſeminali & ſeminibus, conſule Tab. Generalem Iconum ſeminum 62. 63. 63.

PINPINELLA SANGUISORBA.

Quartum Genus ſubalternum Umbellarum improprie dictarum.

CAPUT IV.

- *Pimpinella ſanguiſorba*
  - *Spica longiori*
    - *alba, Canadenſis.* ⊙
    - *rubra, Canadenſis.* ⊙ ♃
  - *ſpica breviori, ſeu glomerata*
    - *foliis*
      - *lævibus*
        - *major*
          - *Canadenſis.* ⊙ ♃
          - *noſtræ.* ⊙
        - *minor*
          - *vulgaris piloſa.* ⊙
          - *non piloſa.* ⊙
        - *ſpinoſa, ſeu ſemper virens.* ⊙
      - *Aſperis, ſeu agrimonoïdes. Tab. Col.* ⊙ ♃

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Pinpinella ſpicata ; nobis ſic dicta ; Authoribus ab effectu, ſanguiſorba. A pimpinella *Umbellifera*, nobis ſic dicta, ab effectu authoribus ſaxifraga capite, aut ſpicâ diſtinguitur. Omnimodam quoad foliorum diſpoſitionem habent inter ſe hæ duæ pimpinellæ conformitatem ; hujus enim & illius lobi, ſeu pinnæ ſeptenæ aut novenæ, nunc plures nunc pauciores, utrinque ex adverſo diſponuntur, nervo medio, ſeu coſtæ adhærentes, impari ſemper extremum claudente ; ſecundum magnitudinem partium, lævitatem, vel aſperitatem foliorum, longitudinem, vel brevitatem ſpicarum, in ſubalternas ſpecies eaſdem partiemur.

Prima dicitur pimpinella ſanguiſorba, ſpica longiori ; eſtque duplex, una Canadenſis alba, maxima. Caulem habet (vere deſinente) procerum, rotundum, geniculis articulatum, ex quo egerminant ramuli plures, per intervalla foliorum pediculis donati, pimpinellæ ſanguiſorbæ noſtræ majori effigie, & colore ſimiles, quin & cauliculorum apices in longiorem ſpicam palmarem faſtigiantur. Flores ſinguli quatuor foliolis, crucis modo conſtant, ex viridi ſubalbeſcentes ; inferiores primo aperiuntur, & gradatim ſuperiores poſtremo. Folia dena, duodena, nunc plura, nunc pauciora coſtæ mediæ adhærent, ſerrata, oblonga, dilute virentia. Radix eſt tuberoſa ; ſapor & odor à vulgaris noſtratis majoris odore aut ſapore parum aut

nihil

nihil differunt; vide in Tabulâ 11. Iconum. Pimpinella Canadenſis ſpica longiori rubra, ubi ad vivum exhibentur prædictæ pimpinellæ folia cum pediculo, & ſpica longiori. Eſt maxima ſpica longa rubra à nobis in præludiis Botan. deſcripta pag. 294. & infra hic inter non deſcriptas. Sequitur Pimpinella ſpicâ breviori, ſeu glomeratâ; eaq; eſt folio lævi, vel aſpero; 1ª folio lævi eſt, vel major Canadenſis, pimpinellæ ſanguiſorbæ noſtrati in omnibus aceedens præter folia, quæ ſunt majora, & magis ſerrata; vel noſtras major, quæ capitulum habet & folia Canadenſis æmula, ſed minora. 2da folio lævi eſt minor vulgaris, quæ duplo eſt majore minor in omnibus ſuis partibus. Folia pilis ut plurimum obducuntur, quandoque ſed raro iiſdem deſtituuntur. 3ia folio lævi eſt, Pimpinella peregrina ſpinoſa ſemper virens. Folia gerit pimpinellæ vulgaris, ſanguiſorbæ dictæ ſimilia, ſuperne virentia, inferne paululum candicantia, ſpinas molles hinc inde per ſupremos ſurculos tranſverſim & oblique ſparſas, eoque nomine pimpinella ſpinoſa appellatur. Semina fert in ſummis alis racematim rotunda, ſubrufa, viciæ magnitudine. Vide Tabulam Generalem Iconum ſeminum. 64. 65. 66. Ultima eſt Pimpinella foliis aſperis, ſeu agrimonoïdes. Hujus folia agrimoniæ foliis & odore & ſapore accedunt, ſunt enim aſpera, villoſa, rachi, ſeu pediculo medio è regione adhærentia, impare extremum pediculi claudente; ideoque antequam cauleſcat planta quivis diceret à tota conſiſtentia foliorum agrimoniæ, junCto perjucundo odore, eſſe agrimoniæ ſpeciem odoratiſſimam. Caules habet hirſutos, ſtriatos, pedales & altiores, è quorum cimis emergunt ſpicæ rotundæ, aut glomeratæ, ſeminibus ſtriatis (grati odoris) onuſtæ. Vide Tabulam Generalem Icon. ſemin. 65. & Tabulam 12. iconum; umbellarum. A nobis pimpinella dicitur à nobilioribus partibus, ſcilicet floribus & ſeminibus, quæ ſunt ſtriata, oblonga, racematim in ſpicam congeſta, pimpinellæ in modum, & cum adjectione agrimonoïdes, ſeu folio agrimoniæ odoratæ; ut facilius à cæteris ſuæ claſſis diſtinguatur.

Locus & tempus.

1ª Pimpinella ſanguiſorba maxima ſpica alba, Corn. ex Canadâ primum delata. 2da pimpinella ſpica oblongiore rubra, forte illinc, aut ex Luſitanica allata. 3ia illinc pariter cum prædictis duabus. 4ta provenit in pratis humidis. 5ta in collibus aridis paſſim. 6ta lævis rarius invenitur ibidem. 7ma ex Syria, & Orientalibus Inſulis defertur; provenit etiam in Delphinatu & meridionalibus Galliæ tractibus. Ultimæ locus natalitius nos latet. Florent omnes hæ ſpecies Auguſto; ſemina ſub exitum æſtatis & verſus initium Autumni producunt.

Nomina.

1ma Pimpinella maxima Canadenſis alba, Corn. 2da Canadenſis ſpica longiori rubra, nobis. 3ia major Canadenſis ſpica brevi, nobis. 4ta noſtras ſpica brevi, rubra, nobis. Pimpinella ſanguiſorba maj. C. B. P. Dod. Italica major Cluſ. in Hiſt. Thal. ſideritis. 2da Dioſcoridis major Col. 5ta pimpinella ſanguiſorba minor Matth. Cam. ſideritis Dioſcoridis minor Col. 6ta pimpinella ſanguiſorba lævis, C. B. P. pimpinella ſativa lævis, Geſn. Hort. 7ma pimpinella ſpinoſa, Cluſ. Hiſp. Cam. χαλκεῖον, ſeu chalceion Lugd. Cluſ. Hiſt. poterion ad. Lob. Lugd. Ger. Ultima pimpinella agrimonoïdes, ſeu agrimoniæ foliis, nobis ſic dicta.

Temperamentum & vires.

Pimpinella refrigerat & ſiccat; ad ſanguinis profluvia ſupprimenda & ſiſtenda eſt efficaciſſima. Ad muliebria menſtrua ſedanda nullum reperitur præſentius remedium. Pimpinella ſanguiſorba vulneribus & fiſtulis medetur. Ad dyſenterias, & reliquos ventris fluxus ſtrenuum eſſe præſidium, ſi aut ex vino aut aqua bibantur

tur folia & radices, nemini medicinam adminiſtranti non eſt notum. Ex pulvere foliorum ſanguiſorbæ cum melle, vel Saccharo ſumat 3 *ji. omni mane cum* 3 *jii. aquæ ſanguiſorbæ. Vide Joh. Bauh. qui diffuſe agit de ejus viribus, pag. 119. & 120. De ſeminibus pimpinellæ ſanguiſorbæ conſule Tab. Generalem Icon. ſeminum 64. 65. 66. Vide Tab. Icon. 11. ubi pingitur pimpinellæ Canadenſis folium cum ſpica ejuſdem. Vide Tab. 12. ubi pingitur pimpinella agrimonoïdes.*

Quintum Genus ſubalternum Umbellarum improprie dictarum.

CAPUT V.

Filipendula. ⊙

Barba Capræ { *floribus* { *oblongis.* ⊙ / *compactis.* ⊙

Explicatio Tabulæ præcedentis.

Radices filipendulæ magis in latum, quam in altum ſunt ſparſæ, glandularum olivarium, ventrioſarum inſtar, rotunda capitula, ac nodulos extuberantes inſtar aſphodeli aut pœoniæ fœminæ gerentes, quibus tamen minores hinc inde ſparguntur fibris juncti, iiſque filamentis fit penſilis connexio inter eoſdem, unde filipendulæ nomen. Folia ex ſegmentis pluribus longiuſculis, ambitu ſerratis compoſita, veluti potentillæ, ſeu argentinæ, duriora tamen & ſaturatius virentia, & atro quaſi virore ſplendentia, anguſtiora, profundius laciniata, nullis pediculis alternatim coſtæ mediæ adnaſcuntur. Caules ſunt cubitales & bicubitales, ſolidi, teretes, ſubrubentes, flores ſuſtinentes in paniculæ modum ſparſos, albos, ſeu potius ochroleucos, ſuaveolentes; ſemen ſequitur aſperum, compreſſum, rhombi irregularis figurâ. Vide Tab. General. Icon. ſem. 67.

Locus & tempus.

Filipendula in pratis & ſylvis humectis paſſim provenit. Floret æſtate, & ineunte Autumno ſemina ſua perficit.

Nomina.

Filipendula vulgaris, Eyſt. filipendula, Trag. Dod. Matth. J. B. Tab. cui & ſaxifraga rubra.

Temperamentum & vires.

Filipendula eſt calida & ſicca in 3^io *gradu; ſtranguriæ auxiliatur; calculoſam expellit materiam. Contra tormina & inteſtinorum flatus convenit, addito fœniculi ſemine. Sylvaticus pulverem adverſus morbum comitialem commendat, atque cibis frequenter mixtum valde utilem & efficacem refert. Suſpiriosis & anhelantibus, &*

omnibus

omnibus morbis à cauſa frigida concitatis medetur. Pulvis radicis cum vino hauſtus dolores ſtomachi ſanat & iliacam ex cauſa frigida, & ex flatu etiam adjuvat. Eaſdem & efficaciores huic filipendulæ vires, quam œnanthe umbelliferæ (quæ filipendula etiam dicitur) attribuit Cæſalpinus, propter amaritudinem.

Barba capræ folia ſunt caſtaneæ æmula, oblonga, acuminata, ſerrata, plura ad coſtam è regione alligata, nullis intercedentibus minoribus foliolis, ut in ulmaria, à qua in hoc, & foliis floribuſque ſatis evidenter differt. Caules habet duos aut tres cubitos altos, multis alis confertim in ſummo donatos; radicem ſortita eſt mediocriter craſſam, fibroſam, cortice intectam craſſiuſculâ, ad rufedinem declinante. Floſculos plurimos, ſeu muſcarios ſubluteos gerit: eſtque duplex, major montana, quæ quatuor pedes excedit altitudine, & in cimis floribus, ſeu muſcariis oblongis minus odoratis ornatur; vel eſt minor pratenſis floribus compactis ſubluteis quam ſuaviſſimum eructantibus odorem, ob quem ei nomen regina prati inditum. Folia læto virore nitentia, quina, aut ſeptena ad coſtam connexa ſunt, intercedentibus compluſculis minoribus: ſingularia folia ſunt ſerrata, interdum vero criſpo contextu plicata ad ulmi folia accedunt; ſapore citra morſum ſtrenue ſiccant. Flores ſuaveolentes ſpicatim poſitu & formâ filipendulæ vulgaris, albidi, quinque foliolis conſtant albis, aut potius in luteum vergentibus. Succedunt utrique barbæ capræ ſemina oblonga, contorta in capſulis mucronatis circulariter diſpoſitis, & caulis faſtigio veluti baſi innitentibus.

Locus & tempus.

Prima in Sylvis montanis Hungariæ, Auſtriæ, Stiriæ, nec non in montibus Arverniæ, aliiſque Galliæ tractibus altis. 2da in pratis humidis paſſim provenit. Florent ſemenque perficiunt ſub æſtatis finem.

Nomina.

Prima barba capræ floribus oblongis, C. B. P. Barba capræ Fuch. Ger. J. B. Barba capræ Lugd. Cam. ulmaria major, ſeu altera Park. 2da Barba capræ floribus compactis, C. B. P. ulmaria, ad & Icon. Lob. J. B. Regina prati, Dod. Ger. ulmaria vulgaris, Park.

Temperamentum & vires.

Barba capræ calidi & ſicci eſt temperamenti, Hæmorrhagiam & immodicos fluxus ſanguinis, fluoreſque albos ſiſtit. Has plantas judicat Johannes Bauhinus eſſe potius frigidas contra opinionem Tragi. Vide Joh. Bauh. pag. 489. De ſemine filipendulæ conſule Tabulam Generalem Iconum ſeminum 67.

THA-

THALICTRUM.

Sextum Genus umbellarum improprie dictarum.

CAPUT VI.

- *Thalictrum*
  - *siliqua striata*
    - *majus*
      - *floribus, seu muscariis*
        - *purpureis.* ⊙
        - *luteis*
          - *foliis*
            - *lævibus.* ⊙
            - *rugosis, trifidis.* ⊙ ♃
    - *minus*
      - *Dod.* ⊙
      - *fœtidissimum, B. Prod.* ⊙
  - *siliqua triquetra, Canadense, Corn.* ⊙

Explicatio Tabulæ præcedentis.

THalictrum propter folia plurifariam disposita, atque uni nervo medio, multarum *Umbellarum* more adnexa, huc retulimus; estque duplex; vel seminis thecâ, seu siliquâ striatâ, vel triangulari. Prioris semen est cylindriacæ figuræ planæ utrinque in acumen definens, majus floribus vel muscariis purpureis, seu ex meris staminulis purpureis, vel floribus, seu muscariis luteis; Hocque duplex, estq; 1°unum foliis latioribus lævibus, subnigris in exortu, in pratis humidis emergens; alterum foliis asperis, seu rugosis, trifidis, longioribus, cujus caules cæteris sunt altiores, striati, seu anguloſi. Hujus cernitur minor species foliis multo angustioribus, pariter asperis, rugosis & trifidis, multoque in tenuiores mucrones definentibus. Hanc speciem observavi anno 1644. inter multas alias stirpes, apud medicum Doctissimum Franciscum Bloundel Scholarum Medicinalium Parisiensium Professorem digniſſimum & Botanices peritissimum, præceptorem meum consultissimum. Vel est minus respectu priorum, cujus folia sunt etiam plurifariam divisa, latiora tantum habita ratione sequentis. Vel est minimum omnium fœtidissimum, cujus foliorum lobi sunt trifariam divisi, per terram strati, multo angustiores præcedentis, à pediculis pendentes. Ultimum est siliquâ vel foliculo seminis triquetro, lapathi, acetosæve quodammodo instar. Caulibus violaceis præditum est, seu atro-purpureis, geniculatis per intervalla, in quibus hinc inde plures nascuntur cauliculi. Folia hoc thalictrum habet aquilegiæ tum ordine tum figurâ similia, colore tamen glauco diversa. Flores seu muscarii in caulium cacumine, globulis multis dilute purpurascentibus conflantur, qui dum dehiscunt mille alba filamenta ostendunt, quibus singulis luteus apex præficitur. Filamentis illis deficientibus totidem succedunt capsulæ, seu siliquæ formæ triangularis, extante quâdam per singulos angulos striâ membranaceâ, atque semina inibi contenta sunt plana, lævia,

cylin-

cylindriaca ut ſunt ſemina ſingularia omnium prædictorum Thalictrorum filiquâ ſtriatâ obducta. Vide Tab. Generalem Iconum ſeminum à nobis exhibitam. 68. 69. 70. & 71. Nota inſuper multorum prædictorum Thalictrorum radices repentes eſſe luteas.

Locus & tempus.

Thalictrum primum in montibus Sabaudiæ, & in monte Salevæ naſcitur. 2dum in pratis humidis paſſim Galliæ, Germaniæ & Angliæ. 3ium in Hiſpania, Pannonia, & Auſtria. 4tum in collibus circa Blæſas ſatis frequens. 5tum ip ſylva Madritianæ Regiæ dicta le Bois de Boulogne, & in ſylva Fontaine-Belleau paſſim eſt obvium. 6tum ex Canada. Florent & ſemina perficiunt exeunte æſtate.

Nomina.

Primum Thalictrum majus florum floccis, ſeu muſcariis purpuraſcentibus, C. B. P. Thalictrum, 4. Dod. majus ſeminibus anguloſis caule lævi, J. B. 2dum Thalictrum majus ſiliqua anguloſa aut ſtriata, C. B. P. majus vulgare Park. Thalictrum nigrius caule & ſemine ſtriato, J. B. ruta pratenſis herbariorum ob. Lob. 3ium Thalictrum majus flavum ſtaminibus luteis vel glauco folio, C. B. P. Thalictrum ſpecioſiſſimum glaucum ſemine & caule ſtriato, J. B. foliis aſperis & triſidis, nobis. 4tum Thalictrum minus, C. B. P. Dod. Ger. Ruta pratenſis tenuifolia ad. Lob. Thalictrum minus Dod. 5tum Thalictrum minimum fœtidiſſimum, C. B. P. & prod. Nota omnium Thalictrorum folia habere lobos triſidos, ſive ſint glabri, ſive aſperi, aut rugoſi, atq; more umbellarum lobatarum pediculis ſuis inſiſtunt iidem, & propter hanc rationem huc ad calcem umbellarum revocavimus, floribus autem & ſeminibus ab umbellis multum recedunt. Ultimum Thalictrum Canadenſe, Corn. Thalictrum Canadenſe ſiliqua ſeminis triquetra & caulibus ſubrubentibus, aquilegiæ foliis, nobis, eoque nomine facile à cæteris ſuis conſortibus diſtinguitur.

Temperamentum & vires.

Thalictrum eſt moderate calidum & ſiccum; folia oleribus admixta alvum ſolvunt. Radicis ejuſdem decoctum id potentius præſtat teſte Dioſcoride. Thalictri folia trita, ulcera veteræ ad cicatricem perducunt. De pericarpiis & ſeminibus Thalictrorum, conſule Tab. Generalem Icon. ſeminum. 68. 69. 70. 71. capſulam, ſeu ſiliquam ſtriatam & ſiliquam triangularem 68. 71. ibidem indigitant. Conſule prædictæ Tabulæ explicationem. vide etiam Tab. 12. iconum ubi ſculpitur Thalictrum majus foliis rugoſis, triſidis. Hujus minor ſpecies impræſentiarum viget in horto Edwardi Morgan pone Cœnobium Weſtmonaſterienſe, ſicut plurimæ aliæ rariores plantæ, quæ ex ſemine à me communicato, ab ipſo educatæ, & nutritæ, atque ſumma cum vigilantia, cura & induſtria conſervatæ ſunt.

UMBELLÆ
SEU
PLANTÆ UMBELLIFERÆ
NONDUM DESCRIPTÆ,
aut perperam locatæ.

UMBELLÆ in hac ſectione contentæ, aut à nobis primo ſcriptæ, aut alioquin ab authoribus perperam nominatæ & collocatæ, ob rationes paſſim in hâc noſtra doctrina allatas, mutata habebunt nomina, à nobis impoſita, reducendo ſingulas ad proprias & genuinas ſuas claſſes, quarum teſſeram aut ſymbolum gerunt.

℧ *Achrys* ſemine fungoſo lævi, foliis ferulaceis. Hæc à foliis brevioribus & craſſioribus inſtar fœniculi, ſed pallidius virentibus & caule cubitum, aliquando ſeſquicubitum æquante, primo intuitu à fœniculo; ſed à duabus ſequentibus ſuæ claſſis ſpeciebus præcipue differt, primò foliorum tenuitate, ſecundò ſemine lævi fungoſæ ſubſtantiæ, ſeu pericarpio fungoſo incluſo, nucem parvam myriſticam (quemadmodum ab initio hujus tractatuli diximus) imitante, ab omnibus aliis umbellis, ſemine fungoſæ ſubſtantiæ incluſo differunt. Omnes hæ quatuor prædictæ ſpecies hoc etiam habent commune quod ſint omnes guſtu aromatico, refinaceo, & acri.

℧ *Achrys* ſemine fungoſo, ſulcato, aſpero, foliis peucedani latiuſculis. A ſeminis aſperitate, & foliis peucedani ritu diviſis, à priori ferulaceis foliis præditâ facile dignoſcitur, à tertiâ, ſeu ſequenti (cum quâ in foliis quaſi convenit) ſeminum inæqualitate, ſeu aſperitate diſconvenit & omnino recedit hæc ſecunda.

Achrys ſemine fungoſo, ſulcato, plano, majore, foliis peucedani anguſtis. Hæc à priori foliis, & ſemine ſulcato plano differt. Cum 2^dæ^ ſemina ſint ſulcata aſpera, utraque foliis peucedani donatur, una latiuſculis, altera anguſtis.

℧ *Achrys* ſemine fungoſo, ſulcato, plano, minore, foliis peucedani. Hæc nulla ratione à præcedenti diſtinguitur niſi ſeminis parvitate, in cæteris omnibus convenit, & ſi adultior planta eandem ſeminis magnitudinem acquirat, haud dubie ſpecie non diſtinguetur.

Fœniculum dulce, Azoricum, à vulgari noſtro fœniculo differt, primo quod ſit dulce ut Italicum cum quo convenit dulcedine, ſed gratiore, at ab eodem & vulgari differt Azoricum, quod caules habeat craſſiores & breviores multo magis

magis fungoſos, atque in caulis ſummitate producat petiolos, aut radiolos ſuſtinentes ſemina majora, gratiſſima, atque multum ſemina vulgaris vulgo dicti Italici dulcedinis gradu ſuperantia; Azorici inquam ſemina vulgaris duplò ſunt craſſiora, etiamſi ejuſdem quaſi longitudinis, fragrantioriſque cum odoris tum ſaporis maſticata in ore appareant; ut percipere poſſunt guſtantes eadem in horto Botanico Oxonienſi matureſcere incipientia. Semen hujus optimi fœniculi à Generoſo & Botanices Studioſiſſimo viro Patricio Murray ex Gallia ad nos tranſmiſſum, atque illuc ex Inſulis meridionalibus maris Mediterranei ad Dominum Nicolaum Marchant (Collegam noſtrum amantiſſimum quondam Blæſis commorantem) nunc Pariſiis degentem, & ibidem Chriſtianiſſimæ majeſtati Gallicanæ Profeſſorem Botanicum digniſſimum pariter miſſum; plura indies ſperamus illinc ſemina.

℧ *Pimpinella* ſaxifraga major degener. Hæc pimpinella ſaxifraga ex ſeminis majoris vulgaris ſatione degenerans eſt, cui in omnibus partibus eſſentialibus accedit, videlicet flore, ſemine, odore, ſapore; niſi quod folia ſolummodo habeat magis diſſecta, ſeu laciniata: nihilominus non inepte collocatur cum ſua genitrice planta, foliis lobatis donata, non obſtante foliorum compoſitione à natura ſic ludente. Hoc contingit in plurimis aliis umbellis, foliis ſc. variare ex ſatione (ut ſupra dictum in doctrina umbellarum) quas ſeparare à congeneribus propter diſſimilem foliorum diſpoſitionem, æquum fore non duximus, ſed propter partium eſſentialium, odoris inſuper & ſaporis conformitatem, eaſdem congeneribus aſſociavimus.

℧ *Sium* aquaticum ad alas floridum. Hujus ſii varietas à reliquis facile percipitur, primo quod quaſi rependo & aquis innatando vigeat (aliis rectà aſcendentibus;) 2do quod non in ſummis caulium cimis (aliorum more) ſed ad alas, umbellas curtis petiolis ſeu radiolis inſiſtentes gerat, adinſtar apii. Partibus autem eſſentialibus, nec non odore & ſapore, congeneribus eſt par.

℧ *Sium* aquaticum foliis rugoſis, trifidis, dentatis. Hujus folia ſunt oblonga, ſerrata, pronâ & ſupinâ parte rugoſa; ternatim ut plurimum diviſa, & à pediculis ſæpius terna nonnunquam plura pendentia, à caulibus bipedalibus, aut tripedalibus. Proveniunt in ſummis caulium ramis flores, & ſemina priorum floribus & ſeminibus in omnibus ſimilia. Non bene indigitatur à Lobelio ſium oluſatri facie, nec ab aliis erucæ folio, ideo nomen mutavimus, & convenientius eidem adaptavimus; examinent judicioſi Botanici hanc noſtram appellationem, & ipſam melius huic plantæ quadrare percipient, ad eandem rite & ſpecifice ab aliis ſuæ ſortis diſtinguendam, quam prædictæ appellationes.

℧ *Sium* pumilum foliis fœniculaceis. Sola diſpoſitione & inciſura foliorum à cæteris ſuæ familias, foliis lobatis diſtinguitur, juncta exiguitate partium. Vide explicationem ſupra in tractatu hoc, & prælud. noſtr. Botan. Pag. 309.

℧ *Oenanthe* millefolii paluſtris folio. Perperam hæc umbella authoribus daucus pratenſis &, daucus millefolii paluſtris foliis dicitur. Bauhini fratres, & Parkinſonus

kinsonus Dalechampium sequentes ex Historia ipsius Lugdunensi, sic nominarunt. Vide supra in hoc nostro tractatu caput de œnanthe.

☙ A*Pium* sativum degener, seu foliis longis, dissectis. Hoc ex semine apii sativi, seu hortensis, majoris, habemus in hortis degenerans, cujus folia sunt oblonga, & profunde sinuata, aut scissa in multa longa segmenta mucronata, ludente sic natura in hoc, sicut in aliis multis, non solum umbellarum, sed & aliarum classium, seu tribuum speciebus : ut supra notavimus in pimpinella saxifraga majore, & minore crispa, degenerantibus, & in apio hortensi tenuifolio, Sio (forte) foliis fœniculaceis, cæterisque similibus. Consule Tabulam 7^{mam} icon. ubi legitur apium degener foliis longis dissectis, & Tabulam 5^{tam}, ubi ostenduntur pinpinella saxifraga major degener; & minor crispa.

☙ A*Pium*, hortense seu sativum majus, latifolium, umbellâ luteâ, quoad partes essentiales, parum aut nihil differt ab hortensi vulgari, nisi umbellarum colore luteo herbaceo, atque hac nota à cæteris, albis donatis floribus, parvo aut nullo negotio distinguitur.

☙ A*Mmi* quorundam Dalp^{ii} Hist. Lugd. aut Crithmum 4. Matth. quam inepte ab authoribus eryngiis adscribatur, & eo nomine inter eryngia à Casp. Bauhino collocetur, judiciosis Botanicis discutiendum relinquimus; cum ammeos habeat omnimodam conformationem, nos ad ammi retulimus. Vide prælud. nostra Botanica, pag. 421. & explicationem Tab. de ammi supra in hoc tractatu.

☙ L*Aserpitium* majus lobis latioribus, nobis. Seseli Æthiopicum herba, Dod. cum hujus semina viridia sint (more aliorum laserpitiorum) ex alis foliaceis sex conflata, magis apposite huc ad suas congeneres umbellas reducitur, quam ad seseli, aut libanotidem cum aliis authoribus. Vide caput 3^{ium} de laserpitio supra.

☙ L*Aserpitium* majus, seu latifolium (id est lobis latioribus) semine crispo & rugoso, nobis. Libanotidi similis costus amara semine crispo, J. B. Et hanc & priorem libanotidis speciem inter laserpitia collocavi, non quod sint umbellæ indescriptæ, sed quod male nominatæ & dispositæ ab authoribus inter libanotides sint : cum enim sunt vera & genuina laserpitia à seminibus, odore simul & sapore, inter laserpitia secundum regulam à natura præscriptam sunt disponendæ, consule prælud. nostr. Botan. pag- 370. & 443.

☙ L*Aserpitium* lobis angustioribus dilute virentibus plurifariam divisis, à laserpitio Gallico seu Massiliotico Lob. distinguitur solo foliorum colore dilutius virenti.

☙ L*Aserpitium* lobis angustioribus, longioribus, & dilute virentibus conjugatim positis. A cæteris, angustioribus foliis præditis, primò sola positione foliorum discriminatur. Secundo semina producit aliis foliaceis undulatis, aut rugosis, sed non verrucosis ut costus amara J. B. vide Tab. Generalem icon. sem. 8. 9. 10. de seminibus laserpitii.

Pastinaca

℞ *Aſtinaca* tenuifolia ſylveſtris lucida. Hæc folio eſt craſſiore, lucido, glabro, & atrius virente ſylveſtris vulgaris, quæ pilis ſcatet & in foliis & caulibus: Semina etiam habet majora, craſſiora, magiſque hiſpida, ſeu villoſa, quibus notis facile à carota ſativa ſeu ſylveſtri vulgari diſtinguitur.

℞ *Aſtinaca* tenuifolia, ſeu carota radice & umbellâ luteâ. Hæc à cæteris carotæ ſpeciebus ſolo umbellæ colore dilute luteo, ſeu ὠχρολεύκῳ primo intuitu florens diſcernitur: antequam floreat neutiquam ab oculatiſſimo Botanico à carotâ vulgari diſtingui poteſt.

℞ *Aſtinaca* Cretica radiis gingidii longioribus. Hæc carotæ ſpecies radios producit quinas uncias longos, craſſiores multo & rigidiores quam ſunt gingidii aut viſnagæ radii, concavam pariter ut viſnaga & carota vulgaris conſtituit ſuperficiem, nidi avis inſtar, præcipue dum umbella ſeminibus oneratur. Semina villoſa, hiſpida carotæ ritu fert, eaque multo majora, & craſſiora, unde ab umbellæ & ſeminis formâ ad daucum ſeu carotam reduximus; quin & à longitudine & craſſitie radiorum, ſemina ferentium in cimis caulium, ſpecifica oritur differentia, quâ à reliquis omnibus dauci ſpeciebus quam facillime diſtinguitur.

℞ *Caucalis* major Daucoïdes Tingitana. Hæc umbella ſub exitum è terra, & adhuc dum folia per terram ſtrata gerit, dauci vulgaris, ſeu carotæ adeo ſimilia habet, ut quivis Botanicus peritus eandem daucum eſſe concluderet, antequàm cauleſcat & ſemina producat; caules enim producit ſeſquipedales & bipedales, ſi fertili terræ committatur, in quorum ſummis naſcuntur flores albi (qui antequam expandantur purpuraſcunt) ex quinis petalis, bifidis conflati: ſingulis deciduis floribus ſucceduut bina ſemina oblonga, paululum compreſſa, longiſſimis & tenuiſſimis aculeis donata; quin & ſingula ſemina binis carinis in dorſo, & binis infra ad baſin (quâ adhærent) afficiuntur, ita ut duobus ſeminibus ſibiinvicem adhuc arcte conjunctis octo carinæ aculeis longioribus donatæ appareant: propter ampliorem diſtantiam in parte quâ junguntur, non coeunt in unam Carinæ duæ ad baſin hinc inde ſitæ, ut cernere licet in laſerpitiorum ſeminibus. Inſuper umbella hæc concavam conſtituit ſuperficem, ſicut carota vulgaris; atque hæc omnium caucalidum ſemina habet maxima, longioribus aculeis, & altioribus cartilagineis membranis donata. Cum triennio aut quadriennio ab hinc ejus ſemen ex Mauritania Tingitana acceptum terræ commiſit Edvardus Morgan, ineunte vere produxit caulem pedalem, & ſemina duplo minora ſeminibus quæ hic in Tab. Generali icon. ſeminum 17. 17. exhibentur: anno verò elapſo pullulavit Autumno (quandoquidem per clementiam hyemis nondum perierat) & hoc anno, quo hæc prelo committo, provenit duplò grandior, & ſemina duplò craſſiora produxit; adeo ut congeneres ſuas omnes caucalidum ſpecies longitudine aculeorum & latitudine ſeminum ſuperet.

℞ *Peucedanum* humilius foliis conjugatim poſitis. Folia producit longiora hæc peucedani ſpecies, è regione rachi, ſeu nervo medio adnaſcentia, & quina

ſenave, nunc plura nunc pauciora, è regione gerit, impari longiori etiam extremum claudente. Ex ſumma radicis parte exit coma ſeu barba denſis capillamentis compacta, cæterorum peucedanorum reliquarumque thruriferarum umbellarum ſub diverſis generibus contentarum more: ex quorum capillamentorum meditullio ſeſe erigit caulis bipedalis, ſuſtinens floſculos luteos, reflexos in umbellis. Semina fert membranacea, compreſſa, oblonga, peucedani vulgaris inſtar (conſule Tab. Generalem Icon. ſeminum 24. 24.) à quo præcipue differt diſpoſitione foliorum per pinnas ſeu lobos longos conjugatim diſpoſitorum, non autem ut in vulgaribus, Italico ſcilicet & Germanico tripartitorum, quod ſatis clare ſupra innuimus. Semen itidem producit minus.

℞ *Tordylium* majus vulgare, ſeminis limbo quaſi lævi, nobis. Caucalis major Cluſ. Hiſt. Hæc omnium hujus generis maxima eſt ſpecies, ſi altitudinem ſpectes. Multos à radice producit ſtolones rectos, bicubitales & tricubitales, interdum 4. cubitorum altitudinem attingentes, ſtriatos, intus cavos, geniculis interceptos, & in plures ſuperius ramos diviſos, ſub quibus lata ſede adnaſcuntur conjugatim, ſeu binatim è regione magna, alataque folia, in ambitu inciſa, ſeu ſerrata, inſtar paſtinacæ latifoliæ (cujus & hæc, & duæ alteræ Tordylii varietates, paſtinacæ ſylveſtres apparent etiam eſſe ſpecies) nonnihil etiam hirſuta. Summis ramis innaſcuntur umbellæ candicantium florum, ſubtus parum purpuraſcentium, & uti loquuntur, ad carneum colorem accedentium; quibus ſingulis ſuccedunt bina ſemina lata, fere ut ſphondylii vulgaris, ſpiſſiora in margine, & craſſiora, in convexa & exteriori parte ſubhirſuta, quod etiam conſpicitur in reliquarum Tordylii ſpecierum ſeminibus à nobis exhibitis, eſtque hujus ſemen limbo paululum protuberante, quaſique lævi, granuliſque minus conſpicuo, quam in Tordylio Syriaco & Apulo nobis, in Tabula 7ma deſcriptis. Conſule Tab. Icon. ſeminum 27. 27. 28. 28. 29. 29. ubi trium horum Tordyliorum ſemina optime ſculpta conſpiciuntur, in ſummo mucrone bifida, ſeu aculeata. Radicem hæc habet albam, duram, multis fibris lignoſis præditam. Ex hac deſcriptione penitus quaſi ex Cluſio allata, omnino apparet Tordylii ſpecies perfecta & genuina, ergo male à Caſparo Bauhino aliiſque authoribus, ex Carolo Cluſio tranſcribentibus & denominantibus, nuncupatur adhuc in hodiernum uſque diem caucalis major. Cum ex libro naturæ manifeſtum ſit caucalidum omnium ſemina eſſe aculeata, ſeu echinata, hujus autem ſemen membranaceum, compreſſum, rotundum, ſeu orbiculatum, juſtiore titulo inter congeneres pro Tordylii ſpecie nobiſcum habebitur, & cum Jacobo Plateau, qui ejus ſemen ad Carolum Cluſium miſit, atque Tordylii nomine inſignivit.

℞ *Myrrhis* perennis alba minor, foliis hirſutis, ſemine aureo. Hæc myrrhidis montanæ ſpecies inter cæteras congeneres ſuas perennes facile diſtinguitur, quod folia læviter hirſuta, & ſemen roſtratum, ſtriatum, brevius, aurei coloris producat. Dantur duæ aliæ hujus varietates, quæ hac nota à præcedenti diſtinguuntur, quod folia unius ſunt multo prioris hirſutiora, ſeminaque ſtriata multo ſunt ſeminibus aureis prioris longiora. Ultima folia habet hirſutiſſima, & ſemina longa, etiamque ſubfuſca.

Myrrhis

ϖ *Myrrhis* perennis, lutea Daucoïdes. Inter cæteras omnium myrrhidum ſpecies perennes facile cognoſcitur, quod folia producat dauci vulgaris, aut carotæ omnino æmula, atque umbellam ferat luteam, cum omnium reliquarum umbellæ floribus conſtent albis: adde quod hujus ſemina ſtriata ſunt reliquarum (majore odorata, & annua nodoſa aſpero ſemine exceptis) myrrhidum ſeminibus longiora, minus tamen tumida ſeminibus aureis montanæ prioris deſcriptæ.

ϖ *Myrrhis* annua, nodoſa, ſemine roſtrato, aſpero, oblongo. Hujus caules ad geniculos craſſeſcunt, nodoſve gerunt turbinatos, ſeu pyriformes omnium myrrhidum maximos. Flores fert albos in ſummis caulium bipedalium, quibus ſingulatim evanidis ſuccedunt bina ſemina ſtriata, aſpera, ſeu rugoſa, ruffa, ſeu potius ſublutea in parte gibba, ſeu convexa, ſuntque multo cæterarum myrrhidum ſeminibus (præter majoris odoratæ ſemen) majora & craſſiora. Vide Tab. Generalem Icon. ſeminum 38. 38.

ϖ *Myrrhis* annua ſemine ſtriato lævi. Hæc eſt caule hirſuto, bicubitali, ad ſingula genicula etiam nodoſo, turbinato, ſeu in medio craſſo, intus vacuo. Folia ei ſunt apii modo diſſecta, hirſuta, maculis ſubrubentibus aut fuſcis (caulis etiam ſubcæruleus) conſperſa. Semina in ſummis ramuſculorum cimis ſunt roſtrata, læviter ſtriis obducta, ac ſi lineis tribus ſingula ſemina atramento tingerentur; ac proinde cum carinæ & ſulci vixdum apparent, lævi dicitur ſemine nobis, ut & ſequens.

ϖ *Myrrhis* tuberoſa, nodoſa, coniophyllon, nobis. Hæc à cæteris omnibus hiſce notis ſequentibus dignoſcitur, primo tuberoſitate radicis (quæ ipſi & Smyrnio Cretico inter umbellas annuas, inter perennes Bulbocaſtano ſolummodo convenit) 2do nodoſitate caulis ad genicula, quæ ipſi cum prædictis duabus myrrhidum ſpeciebus communis eſt; ſed hujus omnino folia ſunt cicutæ foliorum æmula, & quod notatu dignum, ipſam cum prædictis notis à cæteris diſtinguit. Bina aut terna internodia verſus terram pilis hirſutis & incanis ſcatentia habet, cætera ſurſum verſus fert lævia, & ſubfuſcis maculis diſtincta aut notata, cicutæ vulgaris ritu. Quam inepte ab authoribus cicutaria dicatur diſcutiendum relinquo Botanicis Doctis in arte, quos remitto ad hallucinationes Caſp. Bauh. aliorumque authorum de hac umbella, cap. infra de cicutaria, à nobis obſervatas.

ϖ *Myrrhis* annua ſemine ſtriato, villoſo, incano. Uno aut altero verbo hæc eſt myrrhis à ſemine, odore, & ſapore; ergo male daucus creticus authoribus dicitur. Vide plura infra inter hallucinationes Caſp. Bauhini aliorumque authorum cap. de dauco & Meo à nobis allatas.

Cerefolium

ꝺ *Cerefolium* ſylveſtre perenne ſeminibus lævibus nigris, Nobis. Hoc primò duratione à Cerefolio ſativo differt, ſecundò quod ſponte proveniat in pratis & foſſis, in omnibus provinciis quas unquam adii, notatim circa Biturigum, Pictonum, Blæſenſium, Aurelianenſium caput, omniumque horum caput Lutetiam Pariſiorum, item in Anglia ſponte paſſim in ſuburbiorum & pagorum (adjacentium Londino, Oxonio, aliiſque oppidis) foſſis & pratis. Eſt autem ſativo ſeu hortenſi multo majus hoc cerefolium, foliaque multo longiora, duriora, cauleſque majores, ſolidiores, magiſque ſtriatos, atque intus medulla duriori plenos, bicubitales, & altiores producit, ad quorum ſingula genicula proveniunt etiam tubercula nodoſa. Semina ſunt lævia, nigra, duplò fere cerefolii ſativi ſeminibus craſſiora. Durat (uti dictum) in multos annos, atque his notis à cerefolio vulgari ſeu ſativo hortenſi facile dignoſcitur; at in hoc conveniunt, quod utriuſque ſemen ſit læve, nigrum, aut ſubnigrum, ſine ſtriis, ſeu carinis vel ſulcis, quod ſoli huic ac Tordylio inter umbellas convenit. Non poteſt dici myrrhis (ut volunt authores omnes) cum non habeat ſemen ſtriis præditum, ſed potius cerefolium, cum ejus ſemen ſit cerefolii modo læve & nigrum; atque his notis diſtinguuntur inter ſe myrrhis & cerefolium. Vide prælud. noſtr. Botanicorum, pag. 288. & infrà hallucinationes Caſp. Bauhini aliorumque authorum de cerefolio & myrrhide. Conſule etiam Tab. Icon. ſeminum 34. 34. 35. 35. 36. 36. 37. 37. 38. 38. 39. 39. 39^a 39^b quibus denotantur ſemina myrrhidum, & 40. 40. 41. 41. quibus indigitantur cerefolii ſativi & ſylveſtris perennis ſemina.

ꝺ *Valeriana* major ſylveſtris foliis latioribus. Hæc eſt tantum varietas valerianæ majoris ſylveſtris, cujus folia ſunt tantum latiora, minus hirſuta, dilutius virentia, coſtæ mediæ lobatim ut in vulgari adhærentia. An ſpecies diſtincta, an varietas hæc tantum habeatur, parvo diſcrimine refert, in ſylvis & in hortis diverſa facie cognoſcibiles tamen nobis apparuêre.

ꝺ *Valerianella* ſemine umbilicato, nudo, oblongo. Hujus ſemen eſt oblongum nudum, cavum in prona parte, gibbum ſeu convexum in ſupina, ſicut cernere licet in valerianella ſemine umbilicato rotundo. Quatenus in longitudinem porrectum & cavum eſt hujus ſemen, non difficulter diſtinguitur à conſorte ſua valerianella ſemine umbilicato, nudo, rotundo, quod inſuper colore conſpicitur ruffo, at illius albido, ut alibi dictum eſt, donatur: vide Tab. Gen. Icon. 50. 51. 52. 53.

ꝺ *Valerianella* ſemine umbilicato hirſuto. Eſt duplex, hirſutum majus cavum in medio & extremo ſuperficiei pronæ, vel hirſutum minus cavum in medio ſuperficiei pronæ tantum. Hiſce notis præcipue diſtinguuntur, cum à foliis (quæ colore aut textura parum differunt) vix cognoſci poſſint. De harum ſeminibus, conſule Tab. Generalem icon. ſeminum 54. 55. 56. 57. ejuſdemque explicationem, quæ omnium prædictarum & ſequentium valerianellarum (præter lactucam agninam, ſeu olus album Dod.) ſingularia & unica indigitat ſemina.

ꝺ *Valerianella* Arvenſis ſerotina altior, ſemine turgidiori. Hæc eſt caule bipedali, aut ſeſquipedali, qui in ſummo candicantes fert flores umbellatim diſpoſitos omnium tardiſſime provenientes; floret enim maturo frumento ſub exi-

tum

tum Julii, aut circa initium auguſti aliquando citius, aliquando tardius, ſemine ſingulari, craſſiori, & turgidiori prægnans reperitur. Præcox autem humilior, ſemine compreſſo & parùm convexo binatim juncto afficitur, quod in nullis aliis valerianellarum ſpeciebus obſervare nobis licuit. Floſculos producit parvos, pentapetalos, ſeu quinis ſegmentis in margine diviſos, ſubcæruleos, aliquando albos, & quaſi obtutum fugientes; exeunte hyeme maturius floret cæteris, & brevi poſt ſemen binatim junctum, aliarum umbellarum propriè dictarum more perficit; quod etiam ſupra à nobis in doctrina valerianellarum obſervatum & notatum, ut diligentius obſervarent Botanici diſcrimen inter hanc præcocem arvenſem, ſeu oleraceam (lactuca agnina, olus album, aut locuſta, dictam,) & ſerotinam noſtram, ſemine ſingulari turgidiori præditam. Hanc præcocem, etiamſi ab omnibus quaſi authoribus neotericis deſcribitur, de novo deſcripſimus, atque ejuſdem ſemen delineandum conjunctim & ſeparatim curavimus, quia ejus differentia neutiquam ab aliis authoribus ante me ſcribentibus bene obſervatur. Jam è longinquo ſuboleo aliquem plantarum nomenclaturæ compilatorem, ex Theatris, pandectis, & Hiſtoriis Generalibus tranſcribentem mihi objecturum, hanc præcocem valerianellam (cum ſit umbella proprie dicta) male collocatam, nec ſecundùm methodum à natura datam eſſe diſpoſitam. Ipſum docuiſſe quid ſit pro hac vice ſufficiet, rationes in medium proferre aliàs non nos pigebit, unum hoc addo impræſentiarum, quod quoad foliorum diſpoſitionem, odorem, & ſaporem cum prædictis convenit, ab ipſis quoad duplex ſemen recedit. Hoc contingit multis aliis ſpeciebus in pauculis differre quæ in multis aliis maxime conveniunt; cum nullo ſubalterno genere umbellarum proprie dictarum melius & aptius hanc collocari poſſe aſſero. Si tranſcriptores illi quicunque fuerint, meliorem rationem addiderint, aliquid ipſos ex proprio cerebro deprompſiſſe dicam.

ꝟ *Valerianella* ſcabioſæ ſemine, ſeu ſtellato, major Luſitanica. A valerianella ſcabioſæ ſemine minore, à Doctiſſimo Fabio Columna deſcripta, & picta, ſola magnitudine ſeminum præcipue differt: ſuntque majoris Luſitanicæ ſemina ſtellata duplo ſeminibus ipſius valerianellæ à Fabio Columna deſcriptæ majora. Semina omnium harum valerianellarum delineanda, & ſculpenda curavimus, quandoquidem omnium harum differentia præcipua conſiſtat in ſeminibus, diverſimode à natura factis: folia quaſi omnium ad eundem modum conſtructa ſunt; etiamſi poterit aliqua ex foliis itidem decerpi diſtinctio, ſemina certiſſima dant indicia.

ꝟ *Pimpinella* ſanguiſorba major, Canadenſis, ſpicâ longiori rubrâ. Hæc à ſanguiſorba majore vulgari, ſeu ſorbeſtrella in hoc differt, quod ſpicam gerat duplo aut triplo longiorem, ternis aut quaternis aliquando unciis conſtantem. Folia habet etiam majora, & ampliora, cæterà par eſt.

ꝟ *Pimpinella* major agrimonoïdes. Eſt foliis aſperis, & hirſutis, agrimoniæ inſtar. Primo intuitu, ſeu facie primâ, agrimoniæ ſpeciem præ ſe fert, quandoquidem cùm foliis tùm odore agrimoniæ omnino accedat. Folia inquam habet rugoſa, ſeu aſpera & hirſuta, coſtæ ſeu nervo medio è regione adhærentia (aliarum pimpinellarum more) quæ contrectata gratiſſimum eructant odorem, agrimoniæ Italicæ odoratæ quam proximè accedentem. Caules ſunt pedales & in ſolo fertili ſeſquipedales,

non rectà aſcendentes, ſed procumbentes: in quorum cimis proveniunt ſpicæ breves, ſeminibus ſtriatis & quaſi undulatis (gratiſſimi etiam odoris) onuſtæ. Vide Tab. Generalem Icon. ſeminum 65. & Tab. Icon. umbellarum. 12.

♃ *Thalictrum* majus ſiliqua ſeminis ſtriata, foliis rugoſis, trifidis. Hoc Thalictrum facile inter cætera diſtinguitur, quod foliis donetur aſperis, rugoſis, trifidis, mucronibus acutioribus, quam qui in foliis cæterorum conſpiciuntur. Caules ſunt ſtriati admodum, ſeu anguloſi. Siliquæ quibus ſemina cylindriaca, lævia, ſeu plana, ſubfuſca, ſeu rubra in medio craſſa, & tumida, verſus extrema gracileſcentia includuntur, ſunt ſtriis majoribus etiam donatæ. Vide de ſiliquis ſtriatis & triquetris, & ſeminibus inde exemptis Tab. Generalem iconum ſeminem 68. 69. 70. 71.

OBSERVATIONES GENERALIORES EX UMBELLARUM SECTIONE COLLECTÆ.

UMBELLÆ LUTEOS gerentes flores.

Libanotis cachryophoros floribus luteis J. B.
Fœniculum, ejuſque ſpecies.
Leviſticum.
Siler montanum.
Seſeli Æthiopicum, frutex.
Seſeli pratenſe, herba.
Cicutaria maxima fœtidiſſima.
Angelica ſativa.
Archangelica, J. B.
Apium peregrinum luteum & anguſtifolium.
Perfoliata.
Bupleurum.
Daucus 3ius fol. coriandri fl. luteo, J. B.
Paſtinaca Syriaca ſeu ſecacul Arabum, J. B.
Paſtinaca tenuifol. ſeu daucus ſyl. umbella lut. C. B. P.
Daucus montanus apii folio fl. luteo 1mus in Prod. B.
Daucus creticus nodoſus umbella lutea Hon. Belli Ponæ.
Pyrethrum fol. longioribus umbella lutea, C. B. P.
Thapſia.
Panax aſclepium Apulum, Col.
Ferula galbanifera, ejuſque ſpecies.
Panax Aſclepium.
Panaces Aſclepium alterum Dalpii, J. B.
Anethum.
Peucedanum, ejuſque ſpecies.
Paſtinaca latifolia, ejuſque ſpecies.
Panaces peregrinum.
Paſtinacæ latifoliæ affinis panax ſive pſeudocoſtus fl. luteo, J. B.
Apium montanum nigrum, J. B.
Libanotis quibuſdam, fl. lut. ſem. ferulæ, J. B.
Paſtinaca tenuifol. radice & umbella lutea.
Caucalis hiſpanica ſem. rugoſo Cluſ. Hiſt.
Lappa Canaria ſive caucalis maritima J. B.
Myrrhis daucoïdes lutea, nobis.

UMBELLÆ FLORE PURPUREO CARNEOVE DONATÆ.

Meum Alpinum umbella purp.
Daucus montanus Cluſ. fl. carneo ſemine ſelino hortenſi æquali.
Fœniculum tortuoſum.
Caucalis fl. rubello Cluſ.
Caucalis latifolia purp. Col.
Caucalis leptophyllos purp. Col.
Caucalis ſem. aſpero floſculis rubentibus.
Pimpinella ſaxifraga major umbel. rubenti.
Cicutaria paluſtris rubra, C. B. P.
Sphondylium, nonnunquam.
Coriandrum

Reliquæ omnes umbellæ gaudent fl. albo, præter prædictas luteo & has rubro donatas, nec umbellam cæruleo colore donari unquam obſervavimus.

UMBELLÆ QUARUM RADICES, ALIQUANDO folia ſuccum reddunt album, aut lacteum, croceum, ruſſumve.

Cachrys, ejuſque ſpecies.
Siler Montanum.
Siler aquilegiæ foliis.
Oenanthe ſucco viroſo cicutæ facie Lob. 7. B.
Fœniculum.
Cicuta.
Smyrnium.
Crithmum.
Leviſticum.
Angelica.
Caucalis Hiſpanica ſem. rugoſo, Cluſ.
Caucalis Hiſpanica, Cluſ. lac reddit teſte Cam.
Laſerpitium, ejuſque ſpecies.
Thapſia, ejuſque ſpecies.
Ferula, ejuſque ſpecies.
Peucedanum, ejuſque ſpecies.
Panax aſclepium, ejuſque ſpecies.
Panaces peregrinum.
Sphondylium.
Oreoſelinum.
Thyſſelinum.
Seſeli paluſtre lactescens,
Saxifraga cervaria nigra.
Myrrhis major odorata.
Cerefolium.

UMBELLÆ QUARUM RADICES INSERVIUNT culinæ, ſeu umbellæ edules radicibus.

Bulbocaſtanum.
Siſarum.
Apium hortenſe.
Carui.
Paſtinaca tenuifolia.
Smyrnium majus.
Crithmum ſpinoſum.
Paſtinaca latifolia.

UMBELLÆ QUARUM SEMINA culinæ aut pharmacis inſerviunt.

Fœniculum.
Cuminum.
Leviſticum.
Siler.
Angelica.
Pimpinella ſaxif.
Siſon.
Sium.
Ammi.
Apium.
Carum.
Aniſum.
Pyrethrum.
Daucus ſeu carota.
Seſeli prat.
Meum athamt.
Smyrnium.
Thapſia.
Laſerpitium.
Anethum.
Myrrhis.
Myrrhis villoſo ſem. ſeu daucus Creticus.

UMBELLÆ QUARUM FOLIA INSERVIUNT culinæ, & pro acetariis condiendis menſæ inferuntur.

Fœniculum.	*Apium.*	*Aniſum.*	*Cereſolium.*	*Valerianella.*
Crithmum.	*Carui.*	*Myrrhis.*	*Scandix.*	*Pimpinella ſanguiſorba.*

UMBELLÆ CONCAVAM CONSTITUENTES (nidi avis inſtar) ſuperficiem.

Paſtinaca tenuifolia, ſeu carota. Gingidium, ſeu viſnaga. Fœniculum azoricum. Tordylium Syriacum. Daucus creticus, & ſi quæ aliæ.

UMBELLÆ RADICE REPENTE PRÆDITÆ.

Angelica erratica Thal. Imperatoria major, C. B. P. *Ammi perenne, nobis. Ammi quorundam Dalpⁱⁱ Hiſt. Lugd. & ſi quæ aliæ. Reliquæ omnes umbellæ proprie dictæ aut pollent radice carnoſâ, turbinatâ, longâ aut ſingulari aut pluribus ſimul junctis, multifidis, furcatis, aut bifurcatis; vel fibroſâ : perpaucæ tuberoſâ donantur radice, ut myrrhis nodoſa, tuberoſa, coniophyllon, & bulbocaſtanum.*

Nota omnium umbellarum ſemina eſſe calida & ſicca in remiſſiore aut intentiore gradu de veritate hujus aſſertionis, penes palatum eadem guſtantium eſto fides. Inter umbellas improprie dictas reperiuntur valerianæ & Thalictri quædam ſpecies repentes.

HALLUCINATIONES
CASPARI BAUHINI,
ALIORVMQVE AVTHORVM.

CONDITA hâc noſtrâ novâ, & inauditâ umbellarum doctrinâ, ex libro naturæ obſervatâ, in quâ pleræque umbellæ, quæ à Caſparo Bauhino, aliiſque authoribus confuſè tractantur, reſtitutæ per genera & ſpecies, ſecundum tabulas cognationis, & affinitatis diſpoſitæ exhibentur; non abs re fore putavimus hallucinationes ejuſdem authoris, in ſingulis capitibus admiſſas præmonſtrare; nec non in prælimine cujuſque capitis Nomina antiquorum, cùm Græca, tùm Latina, ex Theophraſto, Dioſcoride, & Plinio, aliiſque authoribus à Bauhino deſumpta offerre.

CAPVT I.
De *Libanotide.*

Λιβανωτὶς, *quod radix ὀζει λιβάνου, thus redoleat, duplex eſt, latifolia, & ferulæ folio: latifoliæ Theophraſtus lib. 9. c. 12. Genera duo fecit, alterum ſterile, alterum fertile, & alterum, tam fructu, quam folio utile, alterum tantum radice: fructiferum, folium apio paluſtri ſimile, ſed majus habet: ſterile, folio lactucæ amaræ conſtat. Plin. lib. 19. c. 12. de libanotide confuſe egit, ſicut & l. 20. cap. 16. cum conycis miſcuit.*

BAuh. Pin. pag. 157 col. i. pl. i. libanotis latifolia major, C. B. P. major Theophraſti, Hiſt. Lugd. & ibidem Pl. ii. altera latifolia ſive vulgatior, C. B. P. Seſeli Æthiopicum, Dod. Hæ duæ ſunt veræ & genuinæ laſerpitii ſpecies, quia utriuſque ſemina pluribus alis foliaceis rotæ molendinæ fluviatilis pinnarum inſtar conjunctim conſtant: differunt inter ſe magnitudine, colore, & inciſura, ſeu laciniis foliorum.

Pag. eâdem col. ii. Pl. iii. Libanotis latifolia minor ſem. criſpo, C. B. P. & Prod. Libanotidi ſimilis coſtus amara, ſem. criſpo, I. B. Hæc umbella pariter propter rationem antedictam debet pro laſerpitio accenſeri; quin & à prioribus latitudine foliorum (quæ ſunt ampliſſima) & ſeminum rugoſitate & criſpitudine facile diſtinguitur, quia bina ſemina floribus ſingulis albis ſuccedentia producit craſſa, criſpa, verrucoſa in alis ſuis foliaceis, undas quaſi maris referentibus: hoc præcipuè nomine & hanc, & duas præcedentes umbellas, quum laſerpitiorum gerant teſſeram, junctо odore, & ſapore laſerpitio conſimilibus, ad congeneres amandavimus, ex libro naturæ edocti, non obſtante denominatione atq; diſpoſitione authorum ſub libanotidis nomine. Non enim cum libanotide verâ & genuinâ à nobis ſub initium hujus tractatuli propoſitâ (cachriferâ ſcilicet) ſunt diſponendæ, propterea quod ſint thuriferæ, ut volunt authores. ,quia hoc ſecundario ipſis contingit, quemadmodum aliis multis umbellis ſub diverſis omnino ſignis militantibus; ut demonſtravimus ſupra in obſervationibus generalioribus umbellarum ſuccum album, luteum, ruſſumve, thus olentem fundentium.

Pag. eâdem col. ii. Pl. iv. Libanotis minor apii folio, C. B. P. Libanotis Theop. Lob. Adv. Cum hujus ſemen ſit anethi candidum ex Lobellii loco citato, atque latum ad paſtinacæ latifoliæ ſemen nonnihil accedens ex I. Bauhino, ex libro naturæ adgenus ſeptimum hujus tractatus præcedentis, releganda eſt, & inter congeneres illic collocanda.

Ibidem col. ii. Pl. v. Libanotis apii folio ſemine aſpero, C. B. P. Roſmarinus foliis ſelino ſimilibus ſive ſiler creticum Hon. Bellı Ep. i. ad Cluſ. cujus hæc ſunt verba; Roriſmarini hujus folia ſunt ſelino ſimilia, ſerrata, floreſque in umbella albi, quibus evanidis ſuccedunt ſemina oblonga, aſpera; radice nititur craſſa, foris nigra, intus alba, thus maximè olente; hinc colligere quivis poterit hanc umbellam eſſe laſerpitii ſpeciem. Ex ſemine & tota facie foliorum, cum præcedentibus congeneribus ſuis collocandam, nemo mediocriter in arte Botanica verſatus inficias ibit.

Ibidem col. ii. Pl. vi. libanotis latifolia aquilegiæ folio, C. B. P. & Prod. Paucis perſtringemus hanc nec eſſe ex genere libanotidum, nec laſerpitiorum; habet enim ſemina oblonga, depreſſa, ſtriata, ergo aptius ad ſiler refertur, cum quo omninò conformis eſt umbella ex ſtructura ſeminum; nam ſiler hoc habet peculiare, quod ejus ſingula ſemina ſeptem carinis ſive ſtriis (id eſt tribus majoribus & quatuor minoribus) donentur: hoc non conſpicitur in prædictis laſerpitiorum generibus, aut ſpeciebus, quorum ſemina duabus alis foliaceis erectis in dorſo uniuſcujuſque ſeminis, & unâ hinc inde in baſi donantur, quæ in binis ſeminibus adhuc viridibus nec dum exſiccatis arctè ſibinvicem junctis, conſtituunt rotatim ſex alas adinſtar pinnarum rotæ molendinæ fluviatilis, ut ſupra à nobis dictum in cap. de laſerpitio. Cumque igitur hæc libanotis, authoribus ſic dicta, at nobis ſiler aquilegiæ foliis, omnimodam habeat conformitatem cum ſilere montano majore in ſeminibus, cum ſilere in tab. noſtris collocavimus. Neque in tota diſpoſitione umbellarum ſemine ſtriato donatarum, aliæ conſpiciuntur hâc notâ prædictâ in ſeminibus affectæ præter ſileris ſpecies; atque proinde conformitas in ſeminibus mihi in hoc ſilere aquilegiæ foliis (ſicut in aliis omnibus umbellis) conformitatem generis detexit: adde quod hujus ſemen odore & ſapore cinamomum repræſentet, atque maſticatum quid aromaticum redoleat, ſicut & majoris, & minoris ſileris ſemen; adeo ut 1ª iidª iiiiª & vtª harum libanotidum ſpecies ad laſerpitii familiam remitti debeat: per conſequens ad cap. 3. doctrinæ ſuperioris. ivtª autem ſpecies ad 7. caput doctrinæ noſtræ novæ, vi. & vitmª ad ſecundum caput noſtrum, non obſtante (inquam) lachryma thurifera, quæ emanat ex radicibus harum omnium, quandoquidem hoc ſit commune hiſce, & multis aliis infrà dicendis, ſub diverſis tamen generibus diſponendis, habita ratione ultimæ figuræ ſeminum cum libanotidis latifoliæ aquilegiæ folio, tùm libanotidis fertilis Theophraſti, ſeu liguſtici vulgaris.

LIBANOTIS FERULÆ FOLIO, & panax Aſclepias.

Λιβανωτὶς *Dioſcoridi lib. 3. c. 87. duum eſt generum ; unum fœcundum, cujus ſemen rotundum, anguloſum, acre, linguam exurens, & χάχρυς vocatur, foliis fœniculi, cui alterum conſimile, ſemine lato, minime exurente. Sterile illorum ſimilitudinem refert, ſed, neque caulem, neque florem, neque ſemen promit.* De hujus poſterioris aſſertionis veritate multùm dubito.

Pag. 158. *col.* i. *Pl.* i. *libanotis ferulæ folio, ſem. anguloſo, C. B. P.* Hic intelligitur libanotis cachryophoros vera & genuina noſtra, ſemine fungoſo pericarpio lævi incluſo, & ferulæ folio. Ex deſcriptione omnium authorum in pinace à Caſp. Bauhino citatorum, nullam obſervo ſulcorum aut ſtriarum factam mentionem in ſeminibus, niſi apud Andream Cæſalpinum Doctiſſimum Philoſophum & acutiſſimum Botanices ſcriptorem, cujus verba hæc ſunt. *Libanotis candida ſemen fert craſſum, rotundum, ac ſtriatum, oſſeo cortice candido præditum, in quo nuclei inſtar farctum intus apparet ſemen, multo amplius, quam in crithmo.* Eriamſi hucuſque non reperiantur apud authores ſpecies libanotidis genuinæ, ſeu cachryos diſtinctæ, ſed confusè omnino traditæ, ſub initium tamen hujus tractatus clare cernere licet notam genericam libanotidis genuinæ, ejuſque ſpecies notis ſuis particularibus ex libro naturæ peritis, cognoſcibiles.

Eidem pag. 158. *Col.* i. *Pl.* ii. *Libanotis ferulæ folio & ſemine, C. B. P. panax Aſclepium, Dod.* Cum hujus ſemen ſit compreſſum, membranaceum, oblongum, ſtriis depreſſioribus ornatum, & folia pariter ferulacea, ad ſuas umbellas congeneres, ferulam ſcilicet & anethum, eſſet releganda.

Ibidem Pl. iii. *Libanotis fœniculi folio ſem. foliaceo, C. B. P.* Hæc propter ante dictam rationem eòdem debet amandari, cum Dodonæus & Cæſalpinus eidem tradant ſemina foliacea, depreſſa, oblonga, nigra, acria, odorata. Naſcitur in Creta teſte Camerario, ubi ſeſeli vulgo dicitur, & in Sicilia, ubi peucedanum appellatur: hæ appellationes magis proprie conveniunt aliis plantis, ut alibi à nobis dictum.

Ibidem col. ii. *Pl.* iv. *Libanotidi 2. ſimilis, ſeu panax Aſclepium* 1um *C. B. P. panax Aſclepium Matth. Lug.* Eſt ferulæ effigie ſimile, ſed multo minus : ſemine non fœniculi, ſed ferulæ lato; eidemque foliis & floribus haud diſſimile ; ergo ex libro naturæ 2da 3^ia & 4ta libanotidum hic contentarum ſpecies, ad ſeptimum genus ſubalternum, ſeu cap. 7. doctrinæ noſtræ amandari debent; quocunque modò nominentur, modò rectè diſponantur, hoc me non ſolicitum habet. Sunt affines ferulæ à nobiliore, & potiore parte, ſemine ; odore, & ſapore conſequenter : ſuccum reddunt, qui opopanax dici poteſt, quemadmodum ferula Galbanum ſuffundit.

Ibidem col. ii. *Pl.* v. *panax aſclepium umbella lutea, C. B. P. Aſclepium alterum, Hiſt. Lug.* Hujus ſeminis in Hiſt. Lugd. non fit mentio à Dalp^o, ergo quo certò ſit reducenda hæc umbella, incertum nobis adhuc eſt.

Ibidem col. ii. *Pl.* vi. *panax Aſclepium ſem. foliaceo, C. B. P. panax Aſclepium Apulum, Col. Hujus ſemina* (inquit Fab. Columna) *foliacea ſunt duplicia, alata, binis cartilaginibus donata, ut in Thapſia, &c.* Hæc umbella ſemine ala foliacea lateraliter cincto donatur, ergo ad 4. Genus ſubalternum noſtrum, Thapſiam ſcilicet eſſet referenda, ſecundum ſymbolum, ſeu teſſeram ſub qua debent congeneres collocari, & ex libro naturæ ſimilibus addi, tam in noſtra tabula 4ta quam reliquis omnibus : proinde male à Caſp. Bauh. disjungitur à ſuis cognatis, Thapſia ſcilicet, & hic inter diſſimiles locatur.

Ibidem col. ii. *Pl.* vii. *Libanotis minor umbella candida, C. B. P. Libanotis ſeptentrionalium herbariorum Lob: Adv.* Cum ex ipſius Lobellii deſcriptione, hujus ſemen ſit exiguum, ſub hyemem maturans, minùs carui rotundi, fere ammi officinarum par, debet referri ad umbellas ſemine ſtriato, minore, foliis lobatis præditas, in 2do genere ſubalterno noſtro ejuſdemque 2do membro contentas.

Ibidem col. ii. *Pl.* viii. *Libanotis tenuifolia, German. major & minor, C. B. P* παρθενοειδὴς *major & minor Thal.* Curtè & ſuccinctè nimis hic loquitur Thalius in ſylva ſua Hyrcinia (præcipue cum nullam ſeminum harum faciat mentionem) ut nos quò ſint referendæ in ambiguo hæſitare cogamur. Si quis harum & aliarum multarum umbellarum ſemina ad manus noſtras porrigeret, facilè ad claſſes ſuas proprias redigerentur. Præſtent alii quod ego non potui : via jam eſt aperta. Ex dictis tres ſunt umbellæ ſem. compreſſo, membranaceo, oblongo, ſive ſub libanotidis, ſive panacis nomine, una ſemine ala foliacea cincto prædita, & una ſemine ſtriato minore, hæc libanotidis nomine, illa panacis afficitur. Prima eſt libanotis vera & genuina & proprie dicta ; ſub initium noſtri tractatus ſuprà de eâdem ejuſque diviſione ſatis ſuperque dictum. Si detegantur plures ſpecies genuinæ cachryos ſemine pericarpio fungoſo incluſo præditæ, notâ aliqua particulari, aut ſpecifica ab hiſce differentes, addantur ab eaſdem detegentibus & obſervantibus, nos quas adhuc vidimus dedimus & expoſuimus, de nondum viſis nil temere aſſerendum.

CAPVT II.

UMBELLÆ SEMINE STRIATO MAJORE, foliis ferulaceis donatæ.

FOENICULUM.

Μάραθρον *Dioſcoridi lib. 3. c. 81.* ἀπὸ τῦ μαραίνεθαι, *à marceſcendo, quod ejus cum inaruerit, ad condienda plurima multus uſus ſit ; Plin. lib. 19. c. 9. fœniculum anguibus gratiſſimum, ad condienda plurima, cum inaruit : & l. 20. cap. 23. fœniculum nobilitavère ſerpentes, guſtatu ſenectam exuendo, oculorumque aciem ſucco ejus reficiendo. Latinis fœniculum, quod ſatum magno cum fœnore ſemen reddat ; vel potius Græcorum imitatione, quod quaſi fœnum in hyemem arefactum ac marcidum reponatur.*

Genera: Dioſcoridi, eſt ſativum, ſylveſtre, quod ἱππομάραθρον, *& duplex eſt : alterum ſemine magno, cachri ſimile, aliud ſemine Coriandri. Idem Plin. lib. 20. c. 23. recentioribus eſt vulgare, ſeu ſativum, dulce, rotundum, & erraticum, ſeu hippomarathrum.*

Pag. 147. *col.* i. & ii. *fœniculum variat foliorum colore, magnitudine partium, odore, & ſapore.* Videtur mihi in hoc cap. de fœniculo Caſp. Bauhinus multiplicare (cum authoribus) entia ſine neceſſitate ; nam fœniculum vulgare Germanicum i. C. B. P. & fœniculum vulgare Italicum ii. atque fœniculum ſylveſtre v. ſeu erraticum ſponte virens in agris Narbonenſium differre tantum natalibus apparent. Nam ſemina omnium ſunt tribus ſtriis, ſeu carinis in dorſo, ſeu convexa ſingulorum ſeminum parte, & 4. ſulcis prædita, ſuntque ſecundum ſoli fertilitatem aut ſterilitatem majora, & longiora, vel breviora

viora & rotundiora. In Septentrionalibus regionibus ſunt guſtu acri, acuto, in meridionalibus dulciora, & palato multò gratiora.

Male Caſp. Bauhinus vulgare Ger. non emac. idem conſtituit cum fœniculo ſecundo Tab. Etiamſi figuræ cùm Ger. non emac. tum Tabernemontani ſint eædem, tamen per fœniculum vulgare Ger. debet intelligi fœniculum ſem. ſtriato, oblongo, petalis florum luteis reflexis; at per fœniculum rotundum, Tab. intelligitur fœniculum ſemine ſtriato, rotundo, floribus albis, ſeu candidis, ut vult ipſe Caſp. Bauh. in Pin. quod in nullâ fœniculi ſpecie conſpici poterit (ex mea opinione;) aut ſi ſit, à vulgato & ſapore & odore differt; non minùs quam ſemine minori carui forma, eritque alibi diſponendum.

Inſuper hippomarathrum, ſeu fœniculum ſylveſtre Tab. Icon. & fœniculum dulce Ger. eadem icone exhibentur, utriuſq; tamen icon repræſentat ſeſeli pratenſe Monſpelienſium; ex hiſce facile eſt inferre Caſp. Bauhinum ſeſelios pratenſis Monſpelienſium figuræ male adaptaſſe nomina diverſa diverſorum fœniculorum ſupra citatorum. Vide fœniculi diſtinctas ſpecies ſub initium 2di cap. doctrinæ noſtræ ſuprà exhibitæ, quæ ſunt odore acuto, acri, aut dulci, hoc eſt Italicum, vel Azoricum nobis, quod forte fœniculum eſt dulce maj. ſem. albo, J. B. cujus icon noſtrum Azoricum ſatis bene refert.

Pag. 147. *Pl.* vi. *hippomarathrum Creticum, C. B. P. & Prod. & Hon. Bell. ep.* i. *ad Cluſ. florem* (inquit ibidem *Cluſius,*) *gerit luteum in umbella, folia ut anethum, ſemina magna cachri ſimilia, vocatur πλατυκύμινον quod latum cuminum ſonat.* Ex hac nuda & ſterili ſatis deſcriptione nihil certi poteſt determinari, forte tamen à foliis eſt fœniculum Azoricum, ſi ſit ſemine ſtriato maj. more fœniculi: Si ſit ſemine fungoſo pericarpio incluſo, commodè ſatis reduci poterit ad cachryos prædictæ & deſcriptæ ab initio ſpeciem minimam ſem. plano ſulcato.

Pag. 147. *col.* ii. *Pl.* vii. *Chaa herba ex Japonia.* Ex quo authore hauſerit Caſp. Bauhinus hanc plantam inter fœniculi ſpecies collocandam, non poſſum aſſequi: nec ipſum ex ullo authore ante ipſum ſcribente excerpſiſſe fœniculi aliquam vel minimam notam huic plantæ congruentem percipio. Plantæ ipſius Chà & Te dictæ folia ad nos cùm Pariſiis tùm Blæſis degentes delata, in aqua macerata, & poſtea eadem ſuper orbem aheneum (quo utuntur mulieres ibidem viventes, in linteis ſuis exſiccandis,) extendi curavimus, quæ nobis apparuere foliis bellidis majoris latiora, & longiora, ſaltem integriora; quin & odor & ſapor foliorum prædictorum, aut per ſe maſticatorum, aut in aqua maceratorum, longè à fœniculi odore & ſapore recedebant, ac proinde à forma foliorum concluſimus in præludiis Botanicis non eſſe umbellam fœniculaceis ferulaceiſve foliis præditam, & per conſequens male à Caſp. Bauhino hic inter fœniculi ſpecies collocatam. Multo minus admitti poteſt folia Chà aut Te eſſe folia Myrti Brabanticæ, aut gagel Germanorum, aut ſimilem habere effectum, ut volunt quidam Botanici (non ita pridem) homines quidem minimè mali, ſed male verſati in Botanicis, cum chamæleagni, ſeu myrti Brabanticæ folia fragrantiſſimum edant odorem, qui calida ipſa & ſicca in tertio gradu indicat, nec appropinquant folia Chà (quæ ſunt temperatioris naturæ) foliis prædictis aut odore aut ſapore, per conſequens nec effectu. *Nam ſemina chamæleagni impenſe ſunt calida & ſicca, & uſque ad tertium gradum accedunt. Fructus & folia moleſta ſunt ceruiſiæ inter coquendum addita, admodum tentantem caput & ebrietatem adferentem eam reddunt, totus frutex cum fructu aridis veſtimentis interpoſitus à tineis & vermiculis ea tuetur. Dod.* Hæc dixiſſe quid non ſit Chà ſufficiat. Videamus (ex modernis qui ipſam arbuſculam creſcentem viderunt) quid ſit. Petrus Martinius Author Atlantis Sinici ſic deſcribit Chà, ſeu Te: *huiceſt foliolum ſimile folio arbuſculæ quæ Rhus coriaria, ſeu ſumach dicitur, eſt enim virgultum quod in varias virgulas, ſeu ramulos ſeſe diffundit. Æſtate primùm florem emittit, lævi odore fragrantem, hunc evaneſcentem ſequitur bacca viridior mox nigricans.* Hac ratione Chà non eſt chamæleagnus, cùm hujus flores exigui, ſpicati, luteoli exeunt è ſinu foliorum, atque hiſce ſuccedunt ſemina aſpera cacumine pungentia, in racemi exigui & oblongi formam cohærentia, & oleoſo ſucco per maturitatem redundantia: totus frutex cum gravedine quadam odoratus eſt; præſertim ſemen & ejus oleaginoſa pinguetudo. Ex hiſce (ſine longa verborum ſerie) evidenter apparet quod Chà non ſit myrtus Brabantica. Ex verbis Petri Martinii quid ſit ſatis evidenter apparet. Qui plura deſiderat de Chaà, ſeu Cià vel Te, conſulat Petrum Martinium Atlantis Sinici authorem, Athanaſium Kircherum, Nicolai Tulpii Obſ. Medicas, pag. 400. & ſequentibus uſque ad finem, Jacobum Bontium, Dialogo vii. Med. Ind. alioſque plures ab ipſo Tulpio citatos, verſus finem Obſ. Med. prædict. De viribus ejuſdem vide Athanaſium Kircherum, pag. 180. alioſque citatos. Modus præparandi apud Sinenſes illic deſcribitur etiam, ſed jam lippis & tonſoribus hic itidem notus.

CUMINUM.

Κύμινον Dioſcoridi lib. 3. cap. 68. Theoph. 7. Hiſt. 4. at Plinio lib. 19. cap. 8. & lib. 20. cap. 14. & 15. cuminum. Genera: Dioſcoridi ſativum eſt, cui Æthiopicum, quod Hippocrates Regium vocarit, præfert. Secundum locum tenet Ægyptium, reliqua ſequuntur; eſt & ſylveſtre; alterum capitulis in cacumine rotundis: alterum quod à ſingulis floribus, cornicula in ſublime erecta promit. Sed hæc ſtirps omninò ab umbellis arcenda, cum ſit ſui generis, & heteroclyta. *Theophraſto genera plura ſunt: quare Plinio l. 20. cap. 15. ſativum eſt & ſylveſtre, Æthiopicum & Africanum; at lib. 19. cap. 8 alterum ſylveſtre ruſticum vocatum, aliis Thebaicum: Æthiopico Africoque palma eſt: quidam huic Ægyptium præferunt.*

Pag. 146. *col.* i. *Pl.* ii. *cuminum ſem. rotundiore & minore, dulce Melitenſibus, C. B. P.* Eſt perfecta & omnibus numeris abſolutis aniſi ſpecies, ex ſemine forma, ejuſdemque odore & ſapore; quin & folia habet aniſi æmula. Semine autem conſtat aniſi vulgaris ſem. craſſiore & breviore cum dulcedine quadam, etiam aniſi, ſi maſticetur; nec ſemina oblonga, acuminata, ſtriata, graveolentia producit, ut cuminum officinarum Cæſ. ergo male hic collocatur & ſejungitur ab aniſo, à Caſparo Bauhino.

Ibidem col. ii. *Pl.* iii. *Cuminum ſylveſtre capitulis globoſis, C. B. P. ſylv. Dod.* Hæc planta non eſt umbellæ ſpecies vera, & genuina, (multo minus cuminum) propter præcipuam deficientem conditionem requiſitam ad umbellam proprie dictam conſtituendam; nam ſingulatim ſemina ſummâ parte hirſuta, non binatim aliarum umbellarum more gerit, reti admirabili ſtructurâ contexto, ex quatuor pinnatis, ſeu plumoſis carinis, & lobis plurimis angulosis, veluti laneis compoſito, ſingula ſemina circumvolventi. Quin & cumino, nec odore, nec ſapore, nec partium ſtructura, aut compoſitione accedit, ideo male hic collocatur Dioſcoridis exemplo, à Caſparo Bauhino, aliiſque authoribus inter cumini ſpecies. Nos cum dauco cretico (genuina dauci ſpecie) collocavimus in doctrina ſuperiori. Vide explicationem Tab. de Paſtinaca tenuifolia, ſeu dauco ſuprà, in cap 2. doctrinæ noſtræ novæ.

MHON ἀθαμαντικὸν καὶ μεῖον, *Meum Athamanticum Dioſc. l. 1. c. 3. ſimiliter à Plinio lib. 20. c. 23. nominatum, Meu* (ſcribit) *in Italia non niſi à medicis ſeritur, & iis admodum paucis. Duo genera ejus: Macedonicum ſcilicet & Hiſpanicum (non quidem ea duo diverſa genera ſunt: cæterum iis in locis, plurimum gignitur: Hæc addit ex Dioſcoride Dalechampius in notis,) Nobilius, Athamanticum vocant, illi tanquam ab Athamante inventum; hi quoniam laudatiſſimum in Athamante (monte Pthiotidis Theſſaliæ) reperiatur.*

UMBEL-

UMBELLÆ SEMINE STRIATO MINORE, foliis fœniculaceis donatæ.

MEUM.

Pag. 148. *col.* ii. *Meum dauci cretici facie, C. B. P. meum aliud, Hiſt. Lugd.* Hæc parva umbella quantum ex deſcriptione à Dalechampio in Hiſt. ſua Lugd. exhibitâ, colligere licuit, videtur ſaxifragiæ tenuifoliæ ſpecies; & ex ſemine minutiſſimo amaro, & floribus minutis candidis eidem potius accedit, quam dauco cretico, cujus ſemen eſt oblongum, acuminatum, ſubalbidum, & hirſutum: nec ex conformatione partium, odore aut ſapore Meo Athamantico, ſeu vulgari tenuifolio convenit.

Ibidem pl. iii. *meum Alpinum umbella purpuraſcenti, C. B. P. Daucus Creticus ſeu mutelina, Cam. Ep. in Matthæolum.* Cum hæc umbella ſit ſemine oblongo, acuminato, ſubalbido, & hirſuto, & odorato, ſaporis aromatici cum manditur, ex verbis Cam. loco citato, atque ratiocinando ex αὐτοψίᾳ ſeminis, cujus iconem videre eſt in Cam. cuivis Botanico in arte verſato facillimum erit nobiſcum concludère, hanc umbellam eſſe myrrhidis ſpeciem; ergo male hic collocatur.

Ibidem pl. iv. *meum ſpurium.* Hoc (ut ſuprà diximus in explicatione umbellarum, fol. fœniculaceis ſem. minore ſtriato prædita rum) propius ſaxifragiæ tenuifoliæ accedit, & ſeminis parvitate, ſapore etiam, & odore, quàm Meo Athamantico, cum quo conjungitur à Caſparo Bauhino aliiſque authoribus modernis.

BULBOCASTANUM.

Βυλβοκάστανον, cujus Tralianus l. 7. c. 2. meminit, à radicis figura bulboſa, & ſapore caſtaneas exprimente, nomen habet. βόγιον Dioſcor. l. 4. c. 124. aliqui cenſent, cui ψευδοβόγιον cap. ſequenti ſubjungit.

Pag. 162. *col.* ii. *pl.* ii. *Bulbocaſtanum minus, C. B. P. alterum Cam. Hort.* Hoc minoribus bulbis in tractu Rhenano frequens neutiquam eſt ſpecies diverſa; ſed ex bulbillis, ſeu potius tuberculis novellis folia tenuiora producit tertio aut quarto anno; nam pro ratione loci & longa duratione grandeſcunt tuberoſæ radices, & conſequenter caules & folia cæteræque partes. Hoc valde familiare eſt multis annoſis, & vivacibus plantis, tam tuberoſa, carnoſa, quam fibroſa radice præditis; proinde inadvertenter Caſp. Bauhinus cum reliquis authoribus hoc in loco ab ipſo citatis, aliique poſt ipſum ſcribentes, duas conſtituunt ſpecies bulbocaſtani, cum ſit una & eadem, ætate tantum diſcrepans, adeoq; magnitudine & parvitate; quod obſervare in multis aliis ſtirpibus quilibet poterit, tam in hortis cultis, quàm in agris ſponte provenientibus.

GINGIDIUM.

Τιγγίδιον Dioſcorides l. 2. c. 167. herbam ſtaphylino ſylveſtri ſimilem dicit. Plin. l. 20 c. 5. Gingidium ſimillimum ſtaphylino.

Pag. 151. *col.* i. *pl.* ii. *Gingidium folio fœniculi, C. B. P. Syriacum Cam. Ep. & Gingidium Dioſcoridis Rawolfii Hiſt. Lugd. App.* Confuſè admodum deſcripſerunt authores hanc plantam, ut quivis in arte Botanica verſatus obſervabit, teſte Johanne Bauhino. Figuræ Matth. & Cam. multa videntur habere communia cum lappula majore, ſeu caucalide majore. Deſcriptio partim ex Dioſcoride, partim ex lappula Canaria, partim ex viſnaga deſumpta eſt: adeo ut clare illinc colligere licet, fictitiam deſcriptionem authorum quorundam, & falſam, majoremque mutationem in icone Tabernemontani; quod huic compilatori ſatis eſt familiare. Accedamus ad veram deſcriptionem, ex ipſa planta ſemine prægnante à Johanne Bauhino exhibitam: & poſtea nullo cum negotio ipſam ad ſuas congeneres reducemus.

Hæc plantula anetho aut Gingidio noſtrati perquam ſimilis, ſemine lato, laciniato; radice eſt parva albicante, foliolis fœniculaceis, tenuioribus, quàm in paſtinaca erratica, guſtuque amarioribus: umbellæ in medio capitulum cæruleum habenti ſubſunt folia tenuia, ut melanthio; ſemina rotunda, conſarctim coacta in unum quaſi capitulum; unicuique flori bina ſolent ſuccedere ſemina, quâ parte cohærent mutuò aſpera, rugoſa, oblonga, extrinſecus ſtriata, in ambitu fimbriata, ut in umbellis quibuſdam à nobis exhibitis ſub tordylii granulati nomine. *Totum ſemen paulò minus eſt parvi digiti ungue, aut denariolo; in monte Libano, & Syriæ locis præruptis provenire ſcribit Rauwolfius, qui ſemen communicavit Joh. Bauhino.* Ex hiſce verbis partim ex Rauwolfio partim ex Joh. Bauhino apparet eſſe ſemine membranaceo, compreſſo, rotundo, binatim junctò, & fimbriato, ſeu granulato; ut ſunt tordylii quædam ſpecies, de quibus nos ſupra diximus in doctrina cap. 7. hujus tractatus. Cum ſit foliis anethi & ſem. membranaceo, compreſſo, oblongo, granulato, ſeu fimbriato in margine, aptius ex mea opinione ad ſuas congeneres eodem cap. contentas, & à nobis ſic congeſtas revocabitur; appellando anethum ſem. membranaceo, compreſſo, oblongo, fimbriato cum Joh. Bauhino, quàm gingidium, cum quo nullatenus convenit in partibus eſſentialibus: quippe gingidii ſemina ſunt minora, ſtriata. Cum vero ne vel ſeminum formæ aut figuræ meminerit Rauwolfius, nec alii ex ipſo tranſcribentes in deſcriptionibus ſuis, nec vera ſed fictitia ſeminum rudimenta iconibus ſuis appinxere: concludendum eſt, melius à Joh. Bauhino deſcriptam & depictam eſſe hanc umbellam, qui ſeſe plantam Montbelgardi in horto E. C. cultam habuiſſe, eandemque obſervaſſe ait.

Pag. eâdem Col. ii. *pl.* iii *gingidium foliis cereſolii, C. B. P. gingidium Matth. Hiſt. Lugd.* Nullus authorum à Caſp. Bauhino citatorum hujus ſeminis facit mentionem, ac proinde nentiquam certum eſt determinatu, an ad gingidium ſemine ſtriato, villis privato; an ad paſtinacam tenuifoliam ſeu carotam ſemine villoſo donatam, ſit reducenda. *Umbella eſt (ut inquit Dalp. in Hiſt. Lugd.) in cacumine alba, eandem undique comantibus foliis eiſque laciniatis; è floribus ſemen prodit (ſed formæ & figuræ obliviſcitur, more ſibi & aliis ſolito) quo matureſcente umbellæ in ſeſe contrahuntur, ut in dauco, ſeu paſtinaca, & tactæ glutinoſæ ſentiuntur.* Sed cum ſemina nec deſcribuntur nec appinguntur, quod ſatis frequenter occurrit apud authores, proinde nos hic, ut alibi, in ambiguo relinquimus diſpoſitionem hujus umbellæ. Poterit eſſe daucus (propter ſuperficiem concavam) non minus quam viſnaga; hoc enim eſt commune quibuſdam ſub diverſis generibus contentis, ut ſupra diximus in obſervationibus generalioribus.

Pag. eâdem col. ii. *pl.* iv. *gingidium folio paſtinacæ latifoliæ, C. C. P. gingidium primum, Dod. Caucalis Syriaca, Joh. Bauh.* Hæc umbella cum non ſit ſemine ſtriato, non eſt gingidii, aut viſnagæ habenda ſpecies, nec caucalis apte à quibuſdam dicitur, cum non habeat ſemen echinatum, aut aculeatum caucalidum more; ergo (ut alibi diximus) concludendum eſt, cum diſpoſitione & compoſitione ſeminum membranaceorum, rotundor, & compreſſorum in margine fimbriatorum (Tordylii minimi Apuli, Col. ritu) tum poſitione foliorum lobatorum, ſeu per lobos, aut pinnas rachi, ſeu pediculo medio adhærentium, ſub tordylii ſigno militare debere. Per hanc eandem rationem à ſeſelios claſſe arcetur, ut à nobis dictum Prælud. Botan. pag. 272. Vide Tab. 5. cognationis & affinitatis, & Tab. icon. 9^nam^ in qua conſpiciuntur ſphondylium, paſtinaca latifolia ſativa; ubi etiam tordylium Syriacum cum caulibus, foliis, & umbellis, ſeminibus membranaceis compreſ. rotund. & granulatis onuſtis repræſentatur. Vide Tab. Generalem icon. ſem. 28 28. hoc tordylium maj. Syriacum, & Apulum minimum, & vulgare majus limbo quaſi lævi, nobis ſic dictum; nil aliud ſunt quam nothæ aut ſpuriæ paſtinacæ latifoliæ ſpecies, quarum omnium ſemina, clypeum, ſcutumve formâ rotundâ, aut oblongâ repræſentant: ac proinde nos ipſis nomen Anglicano idiomate adaptavimus, *Bucklerwort.* in elencho Tab. 5. cognationis & affinitatis.

SELINUM

SELINUM PUMILUM MONTANUM, *Cluſ.*

Selinum pumilum montanum, Cluſ. Hæc omnium umbellarum ſemine ſtriato minore donatarum minima, annua eſt planta, & folia habet tenuiter diſſecta. Quin & eadem eſt, quæ à Lobelio dicitur peucedani facie puſilla planta, quæ etiamſi pro peucedano à C. Bauhino (ut infra docebitur) ponatur, tamen ſub diverſis generibus, & diverſis nominibus collocatur cum revera ſaxifragiæ tenuifoliæ ſit ſpecies. Hoc facile apparet ex lectione Cluſ. & Lobelii, & ſeminum deſcriptione, atque ad ſe invicem collatione.

SAXIFRAGA PANNONICA, *Cluſ. Hiſt.*

Saxifraga pannonica, Cluſ. Hiſt. Hæc eſt cum congeneribus ſuis in capite de dauco contentis hic collocanda, quarum maxima pars foliis conſtat ferulaceis, & ſemine ſtriato minore. Vide infra examen, Dauci poſt paſtinacam tenuifoliam cap. de Dauco.

UMBELLÆ SEMINE STRIATO MAJORE, foliis lobatis donatæ.

SILER.

Siler montanum, Cluſ. Hiſt. Dod. Liguſticum quod ſeſeli officinarum, C. B. P. Plin. l. 19. cap. 8. & l. 20. c. 15. Siler nunc appellant, à Sile nomine deducto, quia pro ſeſeli ſemine utuntur; at veteres etiam ipſum ſeſeli ſili & ſeli vocabant. λιγυστικὸν (*Galeno* λιβιστικὸν) *utplurimùm in Liguria naſcitur, quare à* λιγυρία *nomen traxit, in monte ſcilicet Apenino dicto: incolis* πάναξ *dicitur. Dioſcorid. l. 3. c. 58. liguſticum ſylveſtre, eſt in Liguriæ montibus: panacem aliqui vocant.*

ANGELICA.

Angelica, quam aliqui ad Smyrnium, alii ad Laſerpitium, ſeu Sylphium Cyrenaicum referunt: etiam ſancti ſpiritus radix dicitur, vel a radicis ſuaviſſimo odore, vel a facultate ſingulari, qua contra venena valet.

Pag. 155. & 156. Angelica ſativa, odore, ſapore intentiore, foliiſque dilutiùs virentibus, & flore herbaceo, ab omnibus ſylveſtribus diſtinguitur; adde quod ſativa ſemina producit craſſiora, & albidiora. Sylveſtres omnes angelicæ ſpecies eodem odore, & ſapore afficiuntur, ſed in remiſſiore gradu. Folia habent ſaturatius virentia, flores albos, & ſemina ſtriis depreſſioribus donata, non alba, ſed lurido, aut fuſco colore tincta. Qui angelicam ſylveſtrem majorem, C. B. P. & ſylveſtrem montanam, C. B. P. imo & aquaticam, C. B. P. ad idem membrum ſylveſtrium tanquam tot varietates, cœlo & ſolo, & conſequenter magnitudine, & parvitate diſcrepantes reduxerit, ipſi non refragabor.

IMPERATORIA.

Imperatoria, quæ ob raras & præſtantes facultates, ſic nominata fuit, inter laſerpitium & panacem media videtur.

P. 156. *col.* 1. *pl. Imperatoria.* Odore & ſapore omninò ſeſe declarat eſſe angelicæ veram & genuinam ſpeciem, atq; ex foliorum ſinubus amplioribus, & ſerraturis profundioribus, atq; rugoſis & inæqualibus ductibus venarum, quibus folia afficiuntur, juncta rependi facultate: ſemineque depreſſioribus ſtriis prædito, inter cæteras ſui generis notu eſt facilis.

ASTRANTIA, SEU IMPERATORIA NIGRA.

Pag. 186. *col.* 1. *pl.* v. *Aſtrantia nigra, ſeu imperatoria nigra.* Cum prædicta planta omnes habeat conditiones ad perfectam umbellam conſtituendam, flores videlicet pentapetalos in umbella producat, quorum ſingulis evaneſcentibus ſuccedunt bina ſemina ſtriata, aſpera, & oblonga, quæ clare intuentibus, & ipſam plantam florentem, & ſemina producentem examinantibus apparent ideoq; clare conſtat eandem veram & genuinam eſſe umbellæ ſpeciem. Intueantur (quotquot ſunt) Botanici curioſi librum ex quo ego hæc hauſi, (id eſt librum naturæ, ut ſæpe à nobis dictum) & clarius luce meridiana proſpicient me non ſine ſummo jure incuriam & ſupinam negligentiam Botanicorum ante me ſcribentium, non ſolum in hoc loco, ſed & paſſim in hiſce meis obſervationibus, in Caſparum Bauhinum, alioſque Botanicos editis redarguiſſe. Varia ſortita eſt hæc planta nomina ab authoribus neotericis impoſita. Primò propter foliola in ſummo caulium faſtigio ſubtus incana, ſupra viridia, ſtellatim cingentia baſin radiorum ſuſtinentium umbellatim floſculos minimos, aſtrantiæ illi fuit inditum nomen. Quoniam vero folia ſingula pediculis ſuis innitentia, in quinque lobos utplurimum obſcure virentes, ſaniculæ vulgaris more gerit diviſa, ſaniculæ illi adaptarunt nomen. Ab aliis multis dicitur helleborus niger, ſeu veratrum nigrum, à nigredine radicum, quæ ei cum multis aliis ſtirpibus (quæ non ſunt hellebori ſpecies) communis eſt. Verum an non aptius à nobis cum Theod. Tabernæmontano imperatoria nigra aſtrantia dicta denominetur, legentium hæc, & perpendentium librum naturæ, judicium penes eſto. Ex dictis concludimus C. Bauhinum inadvertenter aut ſaltem non ſatis diligenter evolviſſe librum naturæ, etiamſi authorum libros ſatis accurate perluſtraverit, atque omnium ſtirpium ſynonyma in pinacem collegerit, opus certe digniſſimum tanto viro, tot tantiſque laboribus exantlatis. Conſule Tab. Icon. 4. ubi umbellam ſeminibus rugoſis, ſtriatis, oblongis, binatim junctis oneratam, data opera obtulimus. Vide Tab. generalem Icon. ſeminum R r & 85. & 86. ejuſque explicationem.

SMYRNIUM.

Pag. 154. *col.* 1. *pl.* xiii. σμύρνιον *Dioſcorid.* ἱπποσέλινον *Theophr. in Sicilia proveniens.*

UMBELLÆ LOBATÆ MINORES, ſemine ſtriato minore donatæ.

SISARUM.

Σίσαρον Dioſcoridi lib. 2. cap. 139. vulgò cognitum, cujus radix elixa, ori grata eſt. Siſer Plinio lib. 19. c. 5. quod olim in Germania cibi cauſa ſerebatur, quare eam quotannis à Germanis Tiberius Cæſar (Plinio ſcribente) flagitavit.

Pag. 155. *col.* ii. *pl.* ii. *Siſarum Syriacum, C. B. P. ſecacul Arabum, ſeu Maurorum, ſive paſtinaca marina Rauwolfi Hiſt. Lugd. app.* Nec Rauwolfius (qui priùs hanc plantam detexit & deſcripſit) nec ille qui eandem ex Rauwolfio tranſcripſit, inque Hiſtoriam Lugd. tranſtulit verbatim, ullam hujus ſeminum fecêre mentionem, ac proinde difficile eſt determinare, ad quod genus ſit reducendum. Hoc nimis familiare authoribus eſt, umbellas breviter deſcribere, earumque ſeminum obliviſci, aut ſaltem eadem negligenter appingi curare: ſi ſit ſemine pericarpio cartilagineo ſpinoſo tecto, poterit adjungi crithmo marino ſpinoſo, & paſtinacæ echinophoræ Col. ex quibus emergere poteſt decimum genus ſubalternum umbellarum à ſemine pericarpio cartilagineo ſurſum ſpinoſo involuto; vide in explicatione tab. 2. in qua diſponitur crithmum marinum ſpinoſum.

PIMPINELLA SAXIFRAGA,

Pimpinellæ & Bipenellæ à recentioribus, ab ordinibus binis foliorum pinnatim ſeu plumatim digeſtis, ſic nominatæ, veteribus inditæ exiſtimantur: quæ etiam Bipennulæ & pampinellæ vocantur. Hæc duplex eſt, pimpinella ſaxifraga, ſeu ſaxifragia, à facultatibus calculorum è renibus expellendorum: altera pimpinella ſanguiſorba, vel ſorbaſtrella, quod ſanguineos fluxus ſiſtat: quæ πιμπίνελλα Myrepſio, & quibuſdam (ut Fab. Columnæ) *ſideritis 2. Dioſcoridis cenſetur.*

Pag. 160. *col.* i. *pl.* vi. Pimpinella ſanguiſorba major, & tres ſequentes, *col.* ii. aliæque quotquot ſunt hujus farinæ à nobis additæ, aut ab aliis poſthac detegendæ & addendæ, cum non ſint umbellæ propriè dictæ, non debent hic locari, ſed ad calcem umbellarum inter improprie dictas, ut alibi à nobis oſtenſum. Propter foliorum in appoſitione ſimilitudinem, cum Pimpinella ſaxifraga conveniunt, ſed à ſpica longiori, floribus, & ſeminibus diverſis diſcordant: Proinde, niſi me animus longe fallit, aptius à nobis ad congeneres umbellas improprie dictas relegantur, quam hic inter umbellas proprie dictas à C. Bauh. collocantur.

SISON.

Σίσων Dioſcoridi l. 3. cap. 64.

SIUM.

Σίον Dioſcoridi l. 2. c. 154. ἀπὸ τοῦ σείειν, quod in aquis vacillando, ab iiſdem præterlabentibus ſecutiatur: vel potius ab excutiendis calculis. Plin. l. & 6. 22. Sion forte, ejuſdem l. 26. c. 8. laver.

UMBELLÆ FOLIIS PLURIFARIAM DIVISIS, ſemine ſtriato majore donatæ.

Σέσελι Dioſcoridi l. 3. cap. 60. quatuor generum, μακεδονικὸν, foliis fæniculi: αἰθιοπικὸν, foliis hederæ: πελοποννησιακὸν foliis cicutæ latioribus; κρητικὸν ſive τορδύλιον; Plin. l. 8. c. 32. ex Ariſtotelis l. 9. Hiſt. cervas ante partum purgari herba quadam quæ ſeſelis dicatur ſcribit: & l. 25. c. 8. Seſeli cervæ enixæ à partu monſtravère: & l. 20. c. 22. Tordylion eſt ſemen ex ſeſeli.

Pag. 161. *col.* i. *pl.* iii. *ſeſeli Creticum majus, C. B. P. Tordylium, ſeu ſeſeli majus, Hiſt. Lugd. ibidem pl.* iii. *Seſeli Creticum minus, C. B. P. ſeſeli Creticum Lob. Adv.* Lobelius duas exhibet icones ſeſelios Cretici in obſervationibus ſuis, quibus ſuperſcribuntur ſeſeli Creticum majus, & ſeſeli Creticum. Nobis videtur Lobelius illic exhibuiſſe, ſeu appinxiſſe ſemina caucalidis majoris Clus. quæ à nobis deſcribitur & pingitur ſub nomine Tordylii majoris, limbo quaſi lævi. Cum fimbrias, ſeu granula omiſerit in figurâ utraq; & fimbrias deſcripſerit in adverſariis his verbis, *ſemina ſunt alba, copioſa, circinata, quaſi toreumatis elaborata, orbiculata, compreſſa, binatim juncta, clypeoli ſpeciem referentia,* aut Lobelius in obſervationibus, & iconibus, per duas ſuas icones intelligit unam eandemque plantam, videlicet Tordylium noſtrum majus vulgare ſine granulis, aut per deſcriptionem à ſe allatam in adverſariis intelligit Seſeli Creticum, ſeu Tordylium Syriacum minus, aut Apulum minimum noſtrum, cujus figuram non exhibuit. Inſuper notandum quòd ſeſeli Creticum majus, & minus, & Creticum fructu majore, & Creticum minimum pl. iii. iv. v. & vi. ibidem, male à C. B. P. & aliis ſeſeli dicuntur, cum ex libro naturæ non ſint ſemine ſtriato, ſed ſemina producant membranacea, compreſſ. rotunda; quare ad congeneres debent referri umbellas (quarum gerunt teſſeram) videlicet ſphondylium, paſtinacam latifoliam, panacem heracleum, cæteraſque tam detectas quam detegendas ſub Tordylii nomine, quod nomen à Plinio jure merito iiſdem attribuitur, à forma ſeminis clypeum aut ſcutum referentis. De ſeminibus Tordyliorum conſule Tab. General. icon. ſem. 27 27. 28 28. 29 29. Atque de ſeminibus umbellarum congenerum, ſem. membranaceo, compreſſo, rotundo, aut oblongo præditarum vide Tab. Gen. icon. ſem. 20 20. 21 21. 22 22.

23 23. 24 24. 25 25. 26 26. 27 27. 28 28 29 29. 30 30. 31 31. 32 32. 33 33. 33[a] 33[b] Ibidem obſervabis ſecundùm intentionem naturæ, diſpoſitionem omnium congruentium inter ſe à forma & figura, imo & conſiſtentia ſeminum.

Pag. 862. *col.* i. *pl.* xi. *Seſeli paluſtre lactescens, C. B. P. & Prod. Paluſtre, Cam. in Hort.* Hoc folia habet tenuiter diſſecta, ut ſeſeli pratenſe, atque ab eodem ſolo ſucco lacteo ex qualibet hujus parte ruptâ manante, & ſemine compreſſo, membranaceo, oblongo, ſeu ſubrotundo dignoſcitur, ac proinde habita ratione ſeminis non hic cum ſeſelion ſpeciebus collocandum judicavimus in Tabulis noſtris affinitatis & cognationis, ſed ad congeneres, ſimilibus ſeminibus compreſſis, membranaceis, & ſubrotundis, & foliis plurifariam diviſis præditas amandavimus ad calcem 7[mi] capitis.

CICUTA.

Κώνειον Theoph. 1. Hiſt. 8. & 6. ejuſdem 2. Dioſcorid. l. 4. c. 79. Etymologicus ita nominatum tradit, ἀπὸ τῦ νόμου εἰλιγμὸν ἢ σκότον τοῖς πίνουσι. Quare Galenus lib. quòd animi mores 3. quòd cicuta epota ſtultitiam pariat, κώνειον dicta, deſumpto nomine ab eo affectu, quia corpus ipſum torquetur. Plinio l. 25. c. 13. cicuta, cujus caulem viridem à pleriſque edi ſcribit: verum qui ſapiunt, ab hujus eſu, Socrateo exemplo moniti, abſtineant.

Pag. 161. *col.* i. *pl.* iv. *cicutaria latifolia tertia, C. B. P. cicutaria maxima Brancionis, Lob. Ob.* Nec Lobelius hic (ſicut in multis aliis locis) ſatis ſibi conſtat; *an inquit hæc cicutaria noſtra maxima fœtida, aut Thapſia 3[tia] Salmanticenſium, Cluſ. vulgo canbeia, quæ eſt Cluſio Thapſia 3[ia], & caulem trium aut 4. digitorum craſſitiem æquantem habet, inſtar caulis ferulæ, imo aliquando humanam altitudinem ſuperantem, flores etiam habet luteos & ſemina matura, lata, aceroſa, alâve foliaceâ cincta.* A floribus & ſemine quilibet potuerit ex libro naturæ edoctus concludere eſſe Thapſiæ ſpeciem cum Cluſio, quem & ipſe Lobelius citat, ſed quia ſub nomine cicutæ à Brancione ipſi communicata erat, cæcutiens præteriit authoritatem Cluſii. Quin & vitio vertendum eſt Caſp. Bauhino, qui non attentius perpenderat mancam & imperfectam Lobelii deſcriptionem, atque ejus dubitandi rationem puerilem in obſervationibus, ex quibus apertè & manifeſtè concludendum eſt, non eſſe cicutam Brancionis, ſed Thapſiam 3[iam] Cluſii ſub nomine cicutæ miſſam.

Pag. 161. *col.* i. & ii. *pl.* v. & vi. *Cicutaria paluſtris latifolia alba & rubra, C. B. P. Hiſt. Lugd.* Cum ex deſcriptione Dalp[ii] in Hiſtoria Lugd. ſem. ſunt longo, nigro; & ex Camerario ſunt oblongo ſemine cerefolii, male conſtituuntur cicutæ aut cicutariæ ſpecies, quippe hæ ſemine ſtriato majore donantur, at prædictæ cicutariæ paluſtres propius ad cerefolium ſylveſtre ſeminibus lævibus, nigris accedunt, ergo male diſponuntur à C. Bauhino quia male nominantur à Dalp[io] in Hiſt. ſua Lugd.

Pag. eâdem col. ii. *pl.* ix. *Cicutaria bulboſa, C. B. P. cicutaria Pannonica, Cluſ. Bulbocaſtanum coniophyllon, Thal.* Hæc umbella, cum ſit pariter ſem. roſtrato & ſtriato, ad myrrhidum claſſem pertinet, non ad cicutæ ordinem, ſemine ſtriato majore brevi præditæ; ergo male à Caſparo Bauhino inter cicutarias diſponitur, propterea quod major pars authorum ante ſe ſcribentium denominationem indidêre, & cicutariam appellavêre; rectius ex libro naturæ myrrhis dicitur tuberoſa, nodoſa, coniophyllon. Figura vitioſa exhibetur à Tabernæmontano, melior à J. Bauhino Tom. 3. Part. 2. De hiſce ſupra dictis & de infra dicendis judicent docti in arte Botanica, & ad lydium lapidem, librum ſcilicet naturæ mecum & hic, & alibi confugientes, meæ accedere ſententiæ procul dubio ipſos neceſſe erit; natura monſtrante viam, homini Philoſopho deviare haud facile erit, ſi rebus ipſis dicta hæc mea applicentur.

OENANTHE.

Οἰνάνθη Dioſcorid. l. 3. c. 135. quaſi flos vinoſus, quòd odore & quadantenus colore, non ſit viti diſſimilis: vel potius, quòd cum vite floreat: & λευκάνθον à florum candore, quos producit: cujus radix magna, in multa rotunda capitula extuberans. Plinio l. 21. c. 24. ænanthe radice magna numeroſa, &c.

Pag. 162. *col.* i. *pl.* i. *ænanthe apii folio, C. B. P. ænanthe* 3[ia] *Matth. Hiſt. Lugd.* Confuſe traduntur hujus ſynonyma à Caſp. Bauhino. Anguſtifolia Lobelii radices habet carnoſas, craſſiuſculas, fuſiformes, at 2. Matth. Hiſt. Lugd. radices ſunt filipendulæ inſtar, ſicut & filipendulæ tenuifoliæ Tab. Quin & præcedenti ſynonymum adjungit Caſp. Bauhinus Cyminum Bulboſum Plinii Col. quod eſt Bulbocaſtani ſpecies, ut ait ipſe Doctiſſimus Andreas Cæſalpinus, ac proinde arcendum ab œnanthes ſpeciebus.

Ibidem col. ii. *pl.* iii. *œnanthe paſtinacæ ſylveſtris folio, ſemine atriplicis, C. B. P. œnanthes ſpecies altera Dalp[ii] Hiſt. Lugd.* Nec hanc videre hucuſque cuivis Botanico per agros Monſpelienſes exſpatianti præter Dalechampium videre contigit. Semen ejus atriplicis ſaltem valde ſuſpectùm habeo; forte ex ſchedulis vetuſtis Dalp[ii] Molinæus deceptus in hoc, ſicut multis aliis, mundo impoſuit.

Pag. eâdem col. ii. *pl.* iv. *œnanthe aquatica, C. B. P. Siſer paluſtre Hiſt. Lugd.* Perperam Caſp. Bauhinus hoc poſterius ſynonymum collocat cum junco odorato aquatili Dod. ſunt enim hæ duæ toto cœlo differentes œnanthes ſpecies, ut cuilibet intuenti, & eaſdem in pratis udis, paludoſis, & fluviorum ripis conſideranti apparet; Siſer paluſtre enim Hiſt. Lugd. optime œnanthen cicutæ (potius apii) folio odore viroſo refert. Conſule Tab. noſtram ſuprà de œnanthe, ejuſque explicationem. Inſuper Lobelius œnanthes aquaticæ duas apponit figuras, unam cum nodulis, alteram ſine tuberculis, radice repente. Tabernæmontanus duas itidem aſſignat icones pro unâ & eâdem plantâ filipendulâ ſuâ aquaticâ, at neuter diſcriminis meminit, in deſcriptionibus. Sunt tantum diverſitates pro anni tempeſtate variantes.

Pag. 163. *col.* i *pl.* v. *œnanthe hederæ foliis, C. B. P. œnanthe Myconi, Hiſt. Lugd.* Hæc, umbella non eſt, multo minùs œnanthes ſpecies; flores, & ſemina, etiam radices ranunculi ritu producit, quin & cauſticam habet facultatem ranunculorum plurimorum more, ergo male à Doctiſſimo Caſp. Bauhino ſequenti Dalp[ium] in Hiſt. Lugd. œnanthe nominatur; potiore jure cum Johanne Parkinſono, Ranunculus Thalictri folio, radice aſphodeli nuncupatur.

Ibidem, col. ii. *pl.* vii & viii. *filipendula vulgaris major & minor, C. B. P.* Haud appoſite hic aſſociantur hæ duæ cum œnanthe umbellifera à C. Bauh. Non ſunt umbellæ, ut ſupra ſatis demonſtravimus, multo minùs pro œnanthes ſpeciebus habendæ ſunt. Idem dicendum de Barba capræ. Vide doctrinam noſtram de umbellis improprie dictis.

Pag. eâdem col. ii. *pl.* ix. & x. Pedicularis ſeu alectorolophos ejuſque ſpecies male hic locantur à Caſp. Bauhino & disjunguntur à cæteris ſuæ claſſis infrà, alibi etiam collocandis. De hiſce prolixius, & clarius ſuo loco & ſectione propria Galeatarum, quam ſectionem ordine & methodo à naturâ datâ in lucem dare (ſi deus dederit) anno ſequenti propoſuimus; ſint Mæcenates non deerunt Mattheoli, aut qui non ſolum ipſius, ſed omnium Botanicorum humeris ſublatus, clariùs & perſpicaciùs è longinquo obſervabit, quam omnes hucuſque præſtiterunt.

CRITHMUM.

Κρίθμον ſive κρίταμον Dioſcoridi l. 2. c. 157 foliis pinguibus, albicantibus, portulacam ſpiſſitudine, *neutiquam* forma *referentibus, ſed craſſioribus, longioribus, ſalſoque guſtu, floribus candidis, &c. in muria ſervatur, cruda & cocta editur. Plin. l. 21. c. 15. Batin appellaſſe videtur, Batin marinam, & Batin hortenſianam, quam aliqui aſparagum Gallicum vocant, ſine ullis notis præponens: Batis etiam l. 21. c. 27. meminit, quæ alvum molliat, nec plura habet.*

Pag.

Pag. 288. *col.* i. *pl.* i. & ii. *Crithmum sive fœniculum marinum majus odore apii, C. B. P. Crithmum, sive fœniculum maritimum minus, C. B. P.* Cum hæ duæ sint perfectæ & omnibus numeris absolutis veræ, & genuinæ umbellæ, à floribus pentapetalis albis, & semine striato binatim junctо, perperam omninò, hic pag. 280. collocantur inter crassifolias plantas, portulacam scilicet, & kali, & propter conformitatem foliorum crassitie, & spissitudine succulenta, à Casp. Bauhino, in sylvas tanquam spuria proles expositæ, à congeneribus umbellis scilicet secernuntur. Melius à nobis inter affines umbellas semine majore, striato, foliisque plurifariam divisis donatas disponuntur; aut (si quis mavult) inter umbellas fœniculaceis foliis, & semine majore striato affectas collocari possunt. Versentur inter affines, nostra parum interest. Sed aptius & melius ex hac, & pastinaca echinophora, Col. constituetur 10um genus subalternum, ut alibi dictum.

Pag. eâdem col ii. *pl.* iii. *crithmum maritimum flore asteris Attici C. B. P.* Propter crassitiem, & spissitudinem succulentam foliorum, male hic jungitur cum Crithmis umbelliferis. Cum Crithmum maritimum asteris Attici flore, sit planta stellata pappescens (sicut olim nos observavimus in rupibus altis Armoricis non longe dissitis ab oppido Poligon paucis milliaribus ab ostio Ligeris) debet amandari ad sibi consimiles, videlicet asterem, conyzam, helenium, Doronicum, & cæteras id genus alias. Folia spissa crithmi instar inservient ad speciem generis, sub quo militat, determinandam.

Ibidem col. ii. *pl.* iv. *Crithmum maritimum spinosum, C. B. P. seu crithmum spinosum, Dod.* Notari debet (inter cæteras omnes umbellas) quasi quid peculiare huic conveniens, quod bina semina striata oblonga, in pericarpio cartilagineo, seu membranaceo oblongo & in summitate senas, nunc plures, nunc pauciores spinas producat. Idem cernitur in pastinaca echinophora Apula, Col. quæ est (ut infra dicemus in hallucinationibus) Caspаro Bauhino pastinacæ tenuifoliæ species. Forte etiam secacul Arabum seu pastinaca marina circa Halep proveniens, de qua diximus in hallucinationibus C. Bauh. de sisaro suprà. Quicunque ex hisce speciebus, genus subalternum decimum umbellarum proprie dictarum constituerit, addendo idem immediate post nostrum crithmum spinosum sem. itidem striato, cartilagineo pericarpio incluso, ipsi non refragabor: cum tegumentum habeant cartilagineum, sicut cachryes omnes, seu libanotides cachryferæ pericarpio fungoso, molli semina habent involuta. Reliquarum omnium umbellarum semina duplici tantum cortice investiuntur exteriori duriori, & interiori molliori sine pericarpio hujusmodi cartilagineo, aut molli fungoso.

APIUM.

Σέλινον Dioscorides l. 3. capitibus sex scilicet 74. & sequentibus proposuit, κηπαίον, seu hortense: ἑλειοσέλινον, in humidis: ὀρεοσέλινον, in montosis: πετροσέλινον, in Macedonia: ἱπποσέλινον: tandem σμύρνιον in Cilica proveniens. Theoph. 1. Hist. 4. de selino egit, cujus plura esse genera 6. caus. 22. scribit: hæc 7. Hist. 4. inter se cum foliis, tùm caulibus differunt: aliud enim folio spisso, crasso, densoque: aliud rariore, latioreque, cauleque majore: horum iterum aliud candidi caulis, aliud purpurei, aut versicoloris. Plin. l. 20. c. 11. de Apio, Hippselino, Eleoselino, & oreoselino, & cap. sequenti de petroselino & buselino egit.

Pag. 153 *col.* i. *pl.* iv. *apium montanum folio ampliori, C. B. P. Oreoselinum, vel veelguta (id est multibona, Dod. pl.* vii. *apium sylvestre lacteo succo tumens, C. B. P. Thysselinum Plinii, Lob. pl.* viii *Apium montanum nigrum, C. B. P. Oreoselinum Parisiensium, Hist. Lugd. pl.* ix. *apium peregrinum cicutæ facie, C. B. P. selinum peregrinum* 2. *Clus. Hist.* Apium verum & genuinum secundum doctrinam nostram novam in tractatu superiori propositam, & ex libro naturæ depromptam, est semine striato minore, subrotundo, sed hæ quatuor apii species suprà citatæ & sic nominatæ à Casp. Bauhino, cæterisque authoribus neotericis, neutiquam sunt genuina apia; cum omnes hæ umbellæ sint semine membranaceo, depresso, rotundo, aut subrotundo affectæ: aliò ergo sunt remittendæ; aptissime ad septimum genus subalternum seu caput 7um doctrinæ suprà traditæ nostræ, & si quæ aliæ hujus farinæ detegantur eôdem debent amandari. Edidimus nostra, jam carpimus supinam negligentiam, & inexcusabilem incuriam authorum passim transcribentium. Sicut vulgo dicitur, canis festinans cæcos parit catulos, pariter authores multi inter Botanicos, pruritu quodam scribendi aut potius transcribendi, sine debito examine rerum ipsarum, errant cum errantibus, & dictum dicunt; quod contigisse multoties observavimus apud Botanicæ artis scriptores, quia multi aliud agentes, medicinam factitantes, perfunctorie tantum & quasi per transennam Botanographos præstare cupiunt, quemadmodum multi posteriori hoc seculo in musæis suis transcribendo & compilando aliorum ante se scribentium opera, ingentia & decumana volumina consarcinant, atque pro suis venditant, nihil aut, parum ex propriâ inspectione aut (ut ita loquar) cerebro proprio depromunt deteguntve: sed authorum aliorum verborum longam seriem captantes, eandemque chartis suis inserentes, res ipsas ex libro naturæ haurire, easve seria indagine venari, hucusque ipsis animum nondum subiit; atque ex hujusmodi neglectu, parum reipublicæ literariæ Botanicæ emolumenti ex ipsorum scriptis advenit, verum maxima confusio, & tædiosa prolixaque verborum lectio in multorum monumentis apparet. Quæ hic dicimus absque injuria cuiquam probo & ingenioso scriptori sint, cum sunt vera; atque ratione & oculari inspectione, aliisque sensibus in opem advocatis innituntur; nam quæ nos in medium proferimus, ex diligenti examine & consideratione exacta florum, capsularum seminalium, & seminum ad genera intermedia reduximus, nulla habita ratione denominationum variorum authorum. Indistinctis enim generibus species multis modis confundi necesse est. Cognitis autem generibus species facile eliciuntur, à foliis, caulibus, radice, colore, sapore, odore, quæ omnia postularunt primariò ἀνατομίαν, eamque diligentem, præter labores & lucubrationes per multos annos exantlatos. Nos sic hanc sectionem condidimus, cæterasque etiam composuimus, quas publico exponere brevi decrevimus. Sed ne currente calamo longior fiat digressio, revertamur ad hallucinationes Caspari Bauhini, & cæterorum authorum, ex quibus collectionem nominum stirpium in Pinace contentarum hausit Casp. Bauhinus, qui duas distinctas species prædictarum constituit, oreoselinum montanum scilicet, folio ampliori, & oreoselinum Parisiensium seu nigrum, quæ solummodo una & eadem est species, diversa tantum natalibus; nos in Monte-Valeriano Sequano fluvio vicino, Suræneoq; pago imminenti, ipsam plantam à Dalpio in Hist. Lugd. propositam copiosè provenientem offendimus, alibique in peregrinationibus nostris per Galliam, sub auspiciis Sereniſſimi Regii Ducis Aurelianensis vidimus, nominatim intra septa Regiæ Chambort, cujus semen utrobique collegimus in monte prædicto quinis abhinc lustris, ducente me eò præceptore Dignissimo Vespasiano Robino. Figuram seu iconem seminis illic collecti in Tab. Generali icon. sem. damus. [Vide 31 31. non est oblongum, nigrum, acre, odoratum, ut sunt myrrhidis semina, nec cumini semini accedit, multo minus apii semini est simile, ut vult Dalpius in Hist. Lugd. Ex omnibus authoribus citatis à Casp. Bauhino, non elicitur oreoselini in monte Suræneo pago imminenti veræ delineatio seminis; hoc familiare est multis, aut omittere seminis descriptionem, aut falsò affingere quando nunquam observarint: ut hoc in loco Dalpius, dum cumino simile ejus semen asserit, verba quæ illic addit de semine, sunt ex Dioscoride transcripta; atque Dioscoridis verba alii umbellæ quam cerefolio convenire non possunt, neque oreoselino, aut apio montano Parisiensium adaptari debent. Natales ipsum Dalpium produnt; ipse nunquam oreoselini Parisiensium contrectavit semina, sed Dioscoridis verba citat, & reliqui omnes ex Hist. Lugd. transcripsere: ergo cum oreoselinnm Parisiensium semen habeat membranaceum, compressum, oblongum adinstar peucedani aut thysselii, tribus striis ovatis depressioribus in gibba parte præditum, coloris pariter ruffi, inter congeneres hæc sicut & omnes prædictæ apii species à nobis notatæ, sunt collocandæ: cum propinquiores à propinquioribus seminibus essent digerendæ, & consequenter nominandæ. A similibus seminibus similes deteguntur vires & facultates, quod nos utplurimum observavimus, non solum in umbellis, sed & in tota stirpium cohorte; in quibus itidem considerentur flores & capsulæ seminales.

Ibidem pl. x. *apium peregrinum cicutæ folio, C. B. P. Selinum peregrinum* 2; *Clus. Oreoselinum aliud, Hist. Lugd.* Selini peregrini 2. Clus. semen ex Carolo Clus. est latum, minus tamen quam ferulæ. At oreoselinum aliud Dalpii Hist. Lugd. flore est in umbella candida, semine apii odorato, & amaro; folia ei sunt cicutæ; quin & hoc est oreoselinum aliud in montibus Valerianis teste Dalpio ipso, in eadem Hist. Lugd. ergo frustra adhibuit hoc synonymum bis repetitum, C. Bauhinus sequendo Dalechampium, cùm ex Clusii verbis selini peregrini 2di semen sit latum, minus tamen quam ferulæ; at ex Dalpio oreoselinum aliud in montibus Valerianis (ut dictum) est semine apii odorato, amaro; ergo disconveniunt quoad descriptiones seminum, atque bis repetitur imo ter à Dalpio in Hist. Lugd. Vide apium montanum, Oreoselinum Parisiensium, & oreoselinum aliud in Hist. Lugd.

AMMI

AMMI.

Ἄμμι Dioſc. lib. 3. cap. 70. quod κύμινον αἰθιοπικὸν ϗ βασιλικὸν vocitant. Plin. l. 20. c. 15. Ammi quod Græci vocant, cumino eſt ſimillimum: quidam cuminum Æthiopicum exiſtimant; Hippocrates regium appellat.

Bauh. pag. 386. *Eryngium arvenſe foliis ferræ ſimilibus, C. B. P. ammi quorundam Dalp*ii *Hiſt. Lugd.* Cum hæc ſit umbella perfecta, & omnibus modis genuina, & vera ex definitione umbellæ à nobis ab initio hujus tractatus aſſignata, flore, ſemine odore, ſapore ammeos ſpeciebus accedit, proinde male inter carduos nothos (ex noſtra doctrina) eryngia ſcilcet, à Caſparo Bauhino, aliiſque quibuſdam authoribus recenſetur. Ex dictis debet illinc ex eryngiorum numero averruncari, & hic inter ſocias plantas diſponi, quemadmodum cum Dalpio præſtitimus. hujus aſſertionis penes examen eſto veritas, penes judicium rite mea dicta examinantium eſto cognitio, non credenda ſed revera examinata, examinanda tamen exhibeo.

CARUI.

Κὰρϑ. Dioſcoridi lib. 3. c. 64. χάρσον, Aëtio καρνοβάδιον, Simeonis Sethi lib. De Alimentis. Careum Plin. l. 19. c. 8. in Caria regione, in qua laudatiſſ. naſcitur.

Pag, 158. *col.* i. *pl.* ii. *carui Alpinum, C. B. P. & Prod.* Cum C. Bauhinus umbellæ hujus ſeminum formam in deſcriptione ſua non exhibeat, incertum, an ad carui, an ad anethum ſit reducenda. *Ibidem planta* iii. *Caruifolia C. B. P. fœniculum ſylveſtre, Hiſt. Lugd.* Eſt fœniculo vulgari, ſeu ſativo procerius, ad tantam altitudinem in Mauritania accedit, ut ad 12. cubitos pertingat. Niſi ſemen ejus ſit odore carui, vix credibile eſt ut huc inter ſpecies carui reduci debeat. Forte eſt fœniculum giganteum Mauritanicum.

ANISUM.

Ἄνισον Dioſcoridi l. 3. c. 65. aniſum, quidam authore Plinio l. 20. c. 17. quaſi ἀνίνητον vocavêre, quod appetentiam cibi præſtaret, & forſan ſic dictum, ὁτι ἀνίησι τὰς ἐμπνευματώσεις, quod tentiores flatulentias internas & externas remittat, & laxet.

Pag. 159. *col.* ii. *pl.* ii. *Aniſum peregrinum, C. B. P. aniſum Philippinarum inſularum, Cluſ. Hiſt.* Hæc planta non eſt umbella, ergo multò minus eſt aniſum, eſt enim planta ſui generis; odor non facit hîc ad genus conſtituendum, cum non verſetur inter congeneres, à forma florum & ſeminum debet denominatio generica deſumi, & hic, & albi ex doctrina noſtra; odor inſervit ſecundario tantum inter congeneres, ad ſpecies determinandas, ut ſæpe alibi obſervavimus paſſim in Hiſtoria Generali à nobis conſtructa, apud authores omnes, v. g. alliaria ſignificat plantam allium redolentem, nos tamen habita ratione teſſeræ ſuis conſortibus convenientis generice, cum ſit planta tetrapetala filiquoſa, inter tetrapetalas filiquoſas collocavimus; atque aptius mea opinione denominabitur heſperis allium redolens, ſic aſſigno odorem ad talem ſpeciem peculiariter determinandam generis prædicti ſcilicet tetrapetalarum ſiliquoſarum: ſicut ſcordium indigitat plantam Σκόροδον, allium pariter redolens, ſed cum ſit planta verticillata, Galeata, chamædri omnibus ſuis partibus conveniens; ex libro naturæ edoctus nominabo Chamædrin paluſtrem, allium redolentem, ſic inter ſocias plantas generice convenientes collocando, relinquo odorem ad peculiariter & ſecundariò talem ſpeciem determinandam, & ita de cæteris. Revertamur ad aniſum Philippinarum inſularum, non eſt umbella, ergo male primò à Carolo Cluſ. deinde à Caſp. Bauhino & aliis poſteriori hoc ſeculo ex ipſis tranſcribentibus diſponitur. Hoc paſſim obſervo Botanicos authores utplurimum cum primo errante, & male adaptante nomen plantæ, cum ipſis errare, nec res ipſas examinant, ſed ſcripta & dictata aliorum tranſcribunt; an verba conveniant rebus perraro inquirunt; præponderent hæc quæ dico homines (ad quos ſcribo) docti in arte Botanica, illorum judicium & exiſtimatio valebunt. Nec mihi animus eſt captare auram popularem, ſed prodeſſe Botanicis; methodum proponendo in vegetabilibus addiſcendis, qua inſtructi homines Botanicen diſcendi cupidi, poſſint, ex arte confuſiſſima, ad ſcientiam perducere Botanicen.

PYRETHRUM.

Πύρεθρον Dioſcor. l. 3. cap. 86. ab igne nomen habet, ob radicis ejus fervorem igneum: ſalivaris Romanis, quòd manſa ſalivam eliciat, apud Pl. l. 28. c. 9. Pyrethri nomen ſolum habetur.

Pag. 148. *col.* i. *pl.* i. *pyrethrum flore bellidis, C. B. P.* Propter fervidiſſimum guſtum ſequenti pyrethro umbellifero, hoc pyrethrum corymbiferum conjungitur hoc in loco, ſed male tamen à C. Bauhino, aliiſque authoribus modernis ipſum ſequentibus, inter umbellas diſponitur, quare cum pyrethrum corymbiferum ſit planta ſtellata, inter ſtellatas corymbeferas (ſi ſolida producat ſemina ſine pappo, quod vereſimile eſt) foret collocanda; ſin ſecus, ſi ſemina emittat in pappos abeuntia, ad ſtellatas pappeſcentes, ſeu pappoſas eſſet amandanda, cùm nobis hucuſque plantam ipſam videre, & contrectare nondum licuit, multo minus ſemina contemplari; & ideo in incerto relinquimus, ad quodnam horum duorum generum ſit reducenda. Hoc certò ſcimus non ad umbellas reduci debere, propter fervidum guſtum, aut pares qualitates quas poſſidet. Quin & ex libro naturæ facile reducitur (ut dictum) ad alterutrum prædictorum generum, præcipue autem ad ejus, cujus ferre obſervatur teſſeram. Hinc ex dictis facili, aut nullo quaſi negotio, quilibet plantam hanc ſtellatim florentem, ad ſuam claſſem diſtinctam redigere poterit, aſſignando intenſiſſimum fervorem pro nota ſpecifica, ipſam ab aliis ſui generis ſecludentem.

Ibidem pl. ii. *Pyrethrum umbelliferum, C. B. P. Pyrethrum verum Matth*ii. *Hiſt. Lugd.* Umbella hæc variat (aſſerente Bauhino in pinace) vulgo eſt alba, at in horto patavino lutea & longioribus foliis collecta ab ipſo, ibidem. Longe fallitur C. Bauhinus dum variationem tantum dicit; nam una & eadem ſpecies, neutiquam conſpicitur fl. albo & luteo varians in umbellis, intelligo colorem perfecte luteum, ſi ochroleucum intelligit, hoc admitto.

Cæſalpinus ſemina pyrethri ſui umbelliferi, compreſſa, rotunda, nigra, ferventia, figurâ lentis exhibet, in deſcriptione ſua, pag. 294. folia itidem aſſignat ſtaphylini ſylveſtris tenuiora. At Geſnerus cum aliis neotericis ſuo pyrethro folia attribuit anethi foliis ſimilia. Ab aliis dicitur eſſe ſemine ſtriato, ut ſunt aniſi, ſic adeò confuſe ab omnibus, aliis ex aliis tranſcribentibus exhibetur hoc pyrethrum umbelliferum, verum, ut nec ſibi ſatis conſtare videantur in deſcriptionibus ſuis cùm quoad diverſa folia, tum diverſiformia ſemina. Hac tamen certâ & infallibili notâ ab omnibus traditur ſemen eſſe fervidiſſimi guſtus, ſicut & radix pyrethi; quod nos hic collocavimus, eſt ſemine rotundo, ſtriato aniſi inſtar, non au-

tem compresso lentis forma, hoc alibi à nobis disponendum venit inter congeneres, sem. membranaceo, compresso, subrotundo, foliisque plurifariam divisis, ad finem cap. 7. cum Thysselio, & apio montano quadruplici, seu oreoselino male dispositio inter apii species, ut suprà à nobis notatum fuit.

Ibidem col. ii. *pl.* ii. *Pyrethrum folio anethi, C. B. P. pyrethrum, Gesneri, Hist. Lugd. Matthiolus & Guilandinus plantam hic suprà expressam, pyrethri nomine donarunt, cui radices, & folia ut cotulæ fœtidæ, umbellæ quasi in centro, multis petiolis iunixæ pectinis veneris ritu, aut anethi, candidi flosculi, fervido & amaricante gustu. Non tam efficaces habet vires, quam pyrethrum officinarum.* Hæc Dalp^us, sed more illi aliisque authoribus solito, & consueto neutiquam seminum meminit. Sit semine compresso anethi ritu, sit carui, aut anisi more, facile reducetur ad suum peculiare genus, quin & omnes umbellæ descriptæ pariter (ut sæpe dictum) secundum hanc nostram doctrinam umbellarum, ad suas congeneres facilè reduci possunt.

UMBELLÆ FOLIIS QUID PECULIARE referentibus prædictæ.

PERFOLIATA.

Perfoliata sic dicta, quòd singula folia caulis penetret: quam alii cacaliam Dioscoridis l. 4. c. 123. suspicantur: alii cotyledonem ejusdem l. 4. c. 92. pronunciarent, ni radix obstaret: alii seseli Æthiopicum ejusdem l. 4. c. 61. censent.

Pag. 277. *col.* ii. *pl.* ix. *perfoliata gramineo folio seu Bupleurum angustifolium Alpinum, C. B. P. Sedum Petreum Bupleuri folio, vel Bupleurum Petræum Gramineo folio, Ponæ.* Hæc planta male inter umbellas, & consequenter perfoliatæ species collocatur, cum ex libro naturæ, sit perfecta Sedi species, ut apparet ex descriptione Joh. Ponæ, & Doctissimi simul & laboriosissimi J. B. quod colligere quilibet poterit, juncto iconis intuitu, ex αὐτοψία & hujus, & aliarum stirpium. Plantam ipsam florentem, & semina ferentem vidimus, quæ ex capsulis suis seminalibus collecta, in promptuario nostro seminario (cum 2500. aliis diversis) recondita impræsentiarum servo. Cum omnibus suis partibus essentialibus sese demonstrat sedum, male hic à Casparo Bauhino solo disponitur, sumendo denominationem à foliis arctè caulibus latiore basi adhærentibus: si autem melius observasset figuram gramineorum foliorum, magis appositè cum Joh. Pona denominasset Bupleurum Gramineo folio saltem inter umbelliferas disposuisset. Folia à figura, spissitudine, magnitudine, & parvitate, incisura, seu divisione, & colore, inserviunt tantum ad species determinandas tam in hac sectione umbellarum, quam in aliis. Cognoscantur perfectè genera plantarum, & species facile discernuntur easdem distinguendo à radice, caule, foliis, odore, sapore, & colore, &c. Notandenique Casparum Bauhinum aliosque Authores Historias generales edentes, & absque methodo componentes, transcribendo verbatim à seinviceu; perfoliatam & Bupleurum ab umbellis separasse, quia umbellæ tesseram non bene observarunt. C. Bauhinus in Pin. pag. 278. collocavit inter helenium & centaurium minus: reliqui post ipsum scribentes idem fecere (excepto oculatissimo nostro Botanicorum Coryphæo Joh. Bauhino, sed cum sunt umbellæ perfectæ semine striato donatæ, ad suas congeneres reduximus in Tab. quemadmodum alibi observavimus in Prælud. Botan. nostr. pag. 399.

BUPLEURUM.

Βούπλευρον *Hippocrati & Nicandro in Theriacis. Plin. l. & cap. 22. Bupleuri meminit, ubi aliqui ammi vulgatius intelligendum censent: licet Bupleurum Plin. rectius valerianæ campestri (quæ etiam lactuca agnina dicitur) tribui videatur. Quare aliis hoc nostrum Bupleurum βόειον dicitur, cujus Theoph. 7. Hist. 8. inter olera mentionem facit. Et Bupreſtis Plin. l. & c. 22. sunt qui ad panaces Chironium Dioscoridis, alii ad elaphoboscum referunt.*

CAPVT III.

UMBELLÆ SEMINE ALIS foliaceis cincto.

LASERPITIUM.

Laserpitium Σίλφιον *Dioscoridi l. 3. c. 94. cujus caulis ferulaceus* μάσσητον *appellatur: folia sunt apio similia, semen vero latum ex cujus caulibus, & radice incisis,* ῥπὸς *id est succus colligitur: quibusdam caulis* σίλφιον, *radix* μαγύδαρις, *& folia* μάσσητα *dicuntur: sic Theophr. 6. Hist. 3. silphium cujus folium maspeton vocant: & Plin. l. 19. c. 3. laserpotium quod Græci silphion vocant, in Cyrenaica Provincia repertum, cujus succum laser vocant: Avicennæ planta laserifera althit dicitur, interpretum aliqui Assam reddunt, forte voce ex laser corrupta.*

Quam imperfectè caput hoc de laserpitio à Casp. Bauhino sit traditum, consulat lector Botanicus tabulas cognationis & affinitatis, earumque explicationem à nobis factam, sub tertio genere intermedio à nobis exhibitam, & ex libro naturæ, non ex confusis authoribus erutam. Ubi nos nulla habita ratione nominum ab authoribus, sub libanotidis genere traditorum, in cap. ejusdem Bauhini de libanotide, & ut in cap. nostro primo hic de Hallucinationibus C. Bauh. observavimus, atque hic restituimus inter congeneres, debentque libanotidum species suprà illic à nobis notatæ, huc revocari, propter tesseram communem ipsis convenientem, semina scilicet alis foliaceis cincta, more laserpitiorum rotæ molendinæ fluviatilis pinnarum instar: & si quæ aliæ hujus farinæ species præter illic à nobis dictas, & notatas detegantur, huc revocentur. Hoc passim præstandum relinquimus in omnibus generibus subalternis 9^em aut 10^em umbellarum. Viam (mihi monstrante natura ex αὐτοψία & inspectione oculari) aliis prostravi, & calcavi: insistant meis vestigiis & plura detegent quæ à me observari hucusque non poterant; perpendite laserpitia à nobis tam in Tab. cognationis laserpitiorum, quàm in cap. primo de Hallucinationibus

nibus C. Bauh. circa libanotidem exhibita, quæ perperam incuriâ, & negligentiâ (nec dicam) ignaviâ, authoribus nondum innotuêre. Nomina quorundam permutavimus, quædam de novo adjecimus, quorum nulla apud authores facta fuerit mentio, cætera conjungenda & addenda intelligo congeneribus.

CAPVT IV.

UMBELLÆ SEMINE ALA FOLIACEA CINCTO DONATÆ.

Quartum Genus ſubalternum.

THAPSIA.

Θάψια quòd in Thapſo ejus nominis Inſula primùm inventa, Dioſc. l. 4. c. 157. quæ tota natura ferulæ ſimilis: meminêre Thapſiæ Theoph. 9. Hiſt. 8. & Plin. l. 13. c. 22.

TURPETUM.

Turbith vox Arabica eſt, ab Avicenna & aliis uſurpata, quamvis aliqui à turbando deducant, quod propter magnam violentiam, purgando corpus turbet. Duplex eſt, aliud Arabicum, aliud Indicum. Arabicum Meſueo 2. ſimpl. eſt radix herbæ, folia ferulæ minora ferentis & lacteo ſucco turgentis; quæ ſane cauſa, cur alii Pityuſæ, alii Alypi, nonnulli Tripolii Græcorum radicem eſſe voluerunt: cujus genera varia Meſueo, domeſticum, ſylveſtre, magnum, parvum, album, nigrum & flavum. Indicum, radice non eſt magna, nec longa, caule hederæ modo per ſolum extenſo, digiti craſſitudine, foliis & floribus althææ ſimilibus, cujus tantum caulis pars inferior juxta radicem gummoſa, utilis eſt, Acoſta, Fragoſio, Dodonæo ex Garzia monentibus. Quare hoc ab eo, quo in officinis vulgò utuntur, longe aliud eſt, monente etiam Cluſio in Garziam: idcirco inter ſe differre volunt, Turbith Avicennæ, & Turbedh, aut Tarbadh.

CAPUT V.

UMBELLÆ SEMINE VILLOSO, SEU HISPIDO:

Quintum Genus ſubalternum,

PASTINACA TENUIFOLIA.

Σταφυλῖνος. Dioſcorid. lib. 3. cap. 39. forte à colore uvæ nigricantis, cujus coloris, unius radix eſt: qui ſylveſtris, in cujus umbellæ candidæ medio, exiguum quid coloris purpurei cernitur; & etiam ſativi meminit. Δαῦκος Theophraſto (paſtinacam Gaza vertit) 9. Hiſt. 15. cui daucus ſpecie lauri, colore croci apud Archades naſcitur: & in Patrenſi agro præſtantior cæteris: huic vis calefactoria eſt, radix nigra: & c. 22. Daucum agro Spartenſi Achaiæ laudatiſſimum referunt: naturâ calefactorium, radice nigrum.

Paſtinacæ (quæ à paſcendo dicta videtur, cum corpus alat) nomine, Latinis quatuor plantas ſignificari Plin. l. 19. c. 5. oſtendit; paſtinacæ (inquit) unum genus agreſte, ſponte provenit, Staphylinus Græcis dicitur: Alterum ſeritur radice, vel ſemine: eſt & quartum genus in eadem ſimilitudine paſtinacæ, quam, noſtri Gallicam vocant, Græci vero daucon, at l. 20. c. 5. ſtaphylinus, paſtinacam erraticam appellant.

Duplex eſt paſtinaca, tenuifolia & latifolia: de tenuifolia tam ſativa quam ſylveſtri nunc, de latifolia ſub genere ſeptimo ſubalterno ſuprà diximus: cum nihil obſervatu dignum in hallucinationibus ſuperſit dicendum, infrà plura dicere, quam nomen antiquorum in medium adferre ſuperſedebimus.

Pag. 151. *col.* i. *pl.* ii. *paſtinaca ſylveſtris umbella majore C. B. P. paſtinaca ſylveſtris daucoïdes Apula Colum. Hæc folia habet majora paſtinacæ ſyl. foliis paucioribus longioribus, atque aduncis lobis diviſa; umbellas etiam gerit ex baſi foliorum laciniis interſectas ut invulgari, rotundas in circuitu, planas in ſuperficie, magnas, floribus ex albo purpuraſcentibus, medium illud croceum habentibus, ſemine eſt oblongo anguſto, non echinato ſed hirſutie quâdam aſperâ, minutâ, albicante obſito, claditur ut quaſi avis nidum repræſentet, ut ex latina tranſlatione metrica Nicandri apparet his verbis, & ſimulans nidum daucus.*

Hæc deſcriptio ex Columna allata convenit cum myrrhide noſtra ſemine villoſo, ſtriato, oblongo donata, nobis in tabulis cognationis & affinitatis, ſic dicta. Utut ſit, non eſt daucus argumentando ex libro naturæ, cum ſit ſemine roſtrato myrrhidis; accedunt deinde ſapor, & odor, quæ ipſam etiam manifeſtant, quæque ſimul juncta nos concludere faciunt eandem ad myrrhidis claſſem propius accedere, quam ad dauci ſeu paſtinacæ tenuifoliæ ſeriem.

Pag. eâdem, *col.* i. *pl.* iv. *paſtinaca ſylveſtris anguſtifolia fructu echinato, C. B. P. paſtinaca echinophora Apula Col. hujus flores ſunt lutei, folia media inter marinam & terreſtrem, parum acuta, leviter hirſuta, & propter hirſutiem leviter albicantia, in cacuminibus alarum, pericarpia remanent aculeata, dura, ſex radiis diviſa, in quorum ſummis ſunt totidem apices denſi, qui flores erant prius; ſemen duplex intus alunt ſtriatum, ovali figura rotundum, oblongum, cortice flaveſcente exterius præditum, qui medullam intùs habet aromatico ſapore.* Ex hiſce Fab. Columnæ verbis, atque ex iconis ab ipſo exhibitæ inſpectione, (etiamſi plantam ipſam nondum nobis licuit videre,) facile eſt demonſtrare non eſſe paſtinacam tenuifoliam, ſequendo regulam à natura datam & à nobis obſervatam; cum non ſit ſemine villoſo ſeu hiſpido ut requirit nota eſſentialis, huic claſſi quintæ à nobis propoſitæ in tabulis noſtris ſuprà, earumque doctrinæ congruens: aliò igitur eſt religanda, nec aptius quam ad Crithmum ſpinoſum marinum, cujus (à ſemine & ejuſdem capſula ſeminali) eſt omnino perfecta ſpecies, foliis acuris brevibus, leviter hirſutis prædita: cumque ſeminibus pericarpio cartilagineo contectis, binatim junctis, ac ſpinis ſex ſurſum tendentibus, ad amuſſim hæc cum crithmo ſpinoſo convenit, & per conſequens ſub eodem genere diſponi debet; foliis acutis, brevibus, leviter hirſutis, & plurifariam diviſis, ſpeciem conſtituentibus diſtinctam à crithmo marino ſpinoſo, cujus folia ſunt longiora, Glabra, craſſa ſpinarum inſtar in mucronem pungentem deſinentia. Conſule ſuprà hallucinationes C. Bauh. in Pinace de crithmo, & Siſaro, ex quibus cum hac paſtinaca eruo & condo decimum genus, ſemine ejuſque pericarpio cartilagineo, à cæteris prædictis novem generibus proprie dictis omnino diſtinctum.

DAUCUS

DAUCUS.

Δαῦκος *Dioſcorid. lib. 3. cap. 83. Daucus, Daucum, & Daucium latinis*

Genera tria Dioſcor. Primum Creticum foliis fœniculi: alterum apio ſylveſtri ſimile: tertium foliis Coriandri. Diocles verò l. 3. de Salub. quartum addidit nempe ſtaphylinum. Plin. l. 25. cap. 9. ait. Dauci genera quatuor. Petronius Diodotus fecit, cum ſint differentiæ duæ; probatiſſimum in Creta fœniculi ſimilitudine; alterum foliis Coriandri; ſi tertium genus facere libeat, eſt ſimile ſtaphylino quod paſtinacam erraticam appellant. Idem l. 19. c. 5. paſtinacæ quartum genus, quam noſtri Gallicam vocant, Græci verò daucon, cujus genera etiam quatuor fecere. De dauco Theophraſti, qui idem cum paſtinaca tenuifolia, eſt ſuprà dictum; examinemus nunc Daucum Dioſcoridis.

Pag. 150. *col.* i. *pl.* i. *Daucus foliis fœniculi tenuiſſimis, C. B. P. Creticus verus Dioſcoridis Ad. Lob.* Hic eſt foliis fœniculi, ſemine cumini, acri, longo, hirſuto, ergo ad myrrhidum claſſem ex noſtra doctrina reduci debet.

Ibidem pl. ii. *Daucus Alpinus multifido longoque folio, ſive montanus umbellâ candidâ, C. B. P. Creticus Cam. Ep.* Camerarius huic ſemina aſſignat *hirſuta, longa cumini. At Daucum Cæſalpini, hujus Synonymum, ſemen habet Cretico ſimile, ſed nequaquam lanuginoſum, acre & valde odoratum, foliis conſtat non fœniculi, ſed ſpecie ſtaphylini: caulis eſt cubitalis ſtriatus.* Uterque hic daucus eſt myrrhidis ſpecies, prior foliis fœniculaceis, ſemine longo, hirſuto: alter eſt etiam myrrhis, ex deſcriptione omnium authorum (*& foliis eſt paſtinacæ tenuifoliæ, & ſemine hirſuto*) præter Andream Cæſalpinum, qui ſuo Dauco attribuit ſemina, cretico ſimilia, ſed non lanuginoſa: utut ſit, ſunt (inquam) ex deſcriptione omnium authorum ſemine longo, roſtrato, ſive villis obducto, ſive iiſdem privato, & per conſequens ad myrrhidum claſſem reduci debent, ex noſtra doctrina, non obſtante authoritate Dioſcoridis ejuſque omnium ſequacium.

Ibidem pl. iii. & iv. *videlicet Daucus montanus multifido breviq; folio C. B. P.* At nobis longiori folio, *ſeu ſaxifraga Pannonica, Cluſ. Hiſt. & Daucus montanus multifido folio, ſelini ſemine,* C. B. P. *ſeu ſelinum montanum pumilum, Cluſ. Hiſt.* Sunt enim hæ duæ umbellæ ſemine ſtriato minore, & foliis tenuiter diviſis. Ergo ad primum membrum capitis primi, tractatus noſtri præcedentis, apte reducuntur inter ferulaceas, ſemine minore, ſtriato. Vide caput 2. ſupra de ſaxifraga pannonica, & ſelino montano pumilo, Cluſ. Hiſt.

Ibidem pl. v. *Daucus montanus apii folio major, C. B. P. Daucus 2. Trag.* (*cui & ſeſeli 2.*) *hujus floſculi* (inquit Tragus) *in ſemen ſubnigrum, latum, anetho, aut cimicibus ſimile deſinunt. Dauci 3ium genus Fuchſii foliis Coriandro aſſimulatur, eſtque capite, & ſemine anethi, in quo umbella paſtinacæ erraticæ ſimilis apparet, &c. Libanotis altera, cervaria nigra quorundam J. B. hujus ſemen eſt latum* (inquit Joh. Bauhinus) *& ad paſtinacæ latifoliæ ſemen accedens*, ex deſcriptionibus omnibus horum authorum, hæc umbella (cum ſit ſemine membranaceo, compreſſo oblongo) ad ſeptimum genus noſtrum debet referri: aſt cætera ſynonyma à C. Bauhino allata, non conveniunt generice cum prædicta umbella. *Nam ſaxifragia Venetorum, ſeu daucus ſelinoides, Ad Lob. ſemen in umbellis gerit oblongum, anguloſum, fœniculi modo, ſeſeli montanum. Cluſ. Hiſt.* hujus *ſummum caulem atque extremos ramos exornant umbellæ palleſcentium floſculorum, quibus ſuccedunt ſemina ſileris montani ſemini ſimilia.* Ergo ex ſynonymis Cluſii & Lobelii atque deſcriptionibus ſeminum, ſaxifragia Venetorum, ſeu Daucus ſelinoides, Lob. Ad. & ſeſeli montanum 2. Cluſ. debet pro diverſa umbella ad ſecundum caput doctrinæ noſtræ novæ amandari. Male ergo pro unâ & eâdem ſynonymâ plantâ umbellifera ponuntur, & hic aſſociantur à C. Bauhino; cum ex libro naturæ ſub diverſis ſignis militant.

Ibidem col. ii. *pl.* iv. *Daucus montanus apii folio minor, C. B. P. Dauci ſecundi ſelinoidi; varietas Lob. ex Lobelio, hic per æſtatem floſculos fert candidos, quibus ſuccedunt ſemina oblonga & in fuſcum rubentia.* Prioris, ſemine (ſcilicet) compreſſo, membranaceo; oblongo hæc eſt tantum varietas minor.

Ibidem pl. vii. *Daucus montanus apii folio albicans, C. B. P. ſeſeli 2. montanum Pannonicum, Cluſ. Hiſt. Deſc.* Hoc idem ſynonymum offertur ſuprà cum ſaxifragia Venetorum, Lob. & hic & ſuprà bis repetitur, miror quomodo C. Bauhinus ſui ſit oblitus, utcunque, eſt ſemine ſtriato, proinde ad 2dum genus noſtrum debet referri.

Ibidem pl. viii. *Daucus montanus apii folio, flore luteo C. B. P. & Prod.* Ex Bauhino in Prodromo, *hujus caulis ſuſtinet umbellas parvas, flores elaphoboſco ſimiles, luteos*, ſed ſeminum non meminit Caſp. Bauhinus loco citato, ergo quo reduci debeat in incerto relinquimus.

Ibidem pl. ix. *Daucus pratenſis apii folio C. B. P. & Prod. Hujus ramis extremis umbellæ candidæ floſculorum exiguorum inſident, quibus ſemen oblongiuſculum, nigricans, aromaticum ſuccedit*, ex his verbis Caſp. Bauhini propter ſterilem & mancam hanc deſcriptionem, quo relegari debeat, ancipites adhuc hæremus.

Ibidem pl. x. *Daucus campeſtris apii folio C. B. P. Dauci 2. genus Dalpii Hiſt. Lugd.* Ex Hiſtoria Lugdunenſi eſt illi umbella apii fiore candido, copioſo ſemine minuto, oblongo, acri, odorato; propter mancam hujus ſeminis deſcriptionem, in ambiguo relinquimus etiam ejuſdem diſpoſitionem.

Ibidem pl. xi. *Daucus petroſelini, vel coriandri folio, C. B. P. Bunium Dalpii Hiſt. Lugd. flore eſt umbellaque anethi, ſemine odorato: minore, quam in hyoſcyamo*, quam imperfectè hæc, & ſuperior umbella, in Hiſtoria Lugdunenſi diſcribantur, judicent æqui lectores docti Botanici.

Ibidem pl. xii. *Daucus Creticus, nodoſus umbella lutea C. B. P. Daucus Creticus 3. Hon. Belli Ep. 1. ad Car. Cluſium.* Flores fert luteos in umbellis, ut anethum, ſemenque cumini; ergo ad 2. genus Doctrinæ noſtræ debet referri.

Ibidem pl. xiii. *Daucus pratenſis milleſolii paluſtris folio C. B. P. Daucus pratenſis Dalpii Hiſt. Lugd.* Nos hanc umbellam ad œnanthes claſſem reduximus ut videre eſt in Cap. 2.

Daucus Alſaticus, C. Bauhini in Prod. Extremos hujus ramulos, umbellæ ſatis magnæ floſculorum flaveſcentium exornant, quibus ſemina plana ſuccedunt, hujus Dauci oblitus eſt Caſp. Bauhinus in Pinace, nec ſine cauſa me judice, quandoquidem ſemine polleat membranaceo, compreſſo, rotundo, atque tota lacteo ſucco abundet; eſt Thyſſelinum in humidis, uliginoſis, & umbroſis alnetis proveniens, non obſtante altitudine quam ei aſſignat Caſp. Bauhinus majorem Thyſſelino, eandem, ſæpe altitudinem humanam ſuperantem, intra ſepta Regiæ Chambort ih umbroſis illic humidis alnetis, ſecus fluvium Couſon, milliari à Palatio Regio Chambort diſſitis offendimus.

Adeo ut 1us & 2dus ad myrrhidum pertineant claſſem, proinde reducuntur ad genus octavum noſtrum ſubalternum, quia ſunt ſem. roſtrato. 3ius & 4tus ad ſecundum genus noſtrum, quia ſunt ſemine ſtriato minore, & foliis fœniculaceis. 5tus ad ſeptimum genus noſtrum, quia eſt ſemine membranaceo, compreſſo, ſubrotundo, aut oblongo. At ſaxifragia Venetorum, ſeu daucus ſelinoides, Lob. Ad. ſeu ſeſeli montanum 2. Cluſ. (male ſynonymum à Caſp. Bauh. adaptatum prioribus) debet ad ſecundum genus noſtrum pertinere, cum ſit ſemine ſtriato. 6tus eſt tantum varietas 5ti ſemine membranaceo compreſſo, oblongo. 7mus eſt idem cum quinto, ut apparet ex duplici repetitione à Caſp. Bauhino facta, ſynonymi Cluſ. ſcilicet ſeſelios 2. montani pannonici. 8us ſemen habet elaphoboſci, ſeu paſtinacæ latifoliæ ergo ad 7um noſtrum genus amandari debet. 9us forte eòdem relegandus 10mus, 11mus, 12mus, & 13ius, omnes hæ umbellæ quatuor noviſſime collocatæ, referri debent ex doctrina noſtra ad ſecundum noſtrum caput, quia ſunt ſemine ſtriato minore; atque reliquæ omnes in hoc capite de Dauco contentæ, quæ ſunt ſemine ſtriato, & brevi; ad ſecundum noſtrum caput relegari debent. Daucus Alſaticus ut ſupra dictum idem eſt cum Thyſſelio, ideo ad ſeptimum caput noſtrum, ſubalternum umbellarum pertinet, cùm nullus horum daucorum, pertineat ad daucum Theophraſti, ſinguli ſecundùm teſſeram uniuſcujuſque ad ſingula capita prædictæ noſtræ doctrinæ, quam facillime reduci poterunt, quemadmodum ſuprà hic à nobis factum.

CAP.

CAPUT VI.

UMBELLÆ SEMINE ACULEATO, ſeu echinato donatæ.

Sextum Genus ſubalternum.

CAUCALIS.

Καυκαλὶς apud Dioſcoridem l. 2. c. 169. ſcandicem ſequitur, quam aliqui daucum ſylveſtrem nominant. Plin. l. 21. c. 15. ſequutus Dioſcoridem inter olera recenſuit.

Pag. 152. *col.* i. *pl.* i. *caucalis maxima ſphondylii aculeato ſemine, C. B. P. Caucalis major, Cluſ. Hiſt.* Malè à Carolo Cluſio primò & Caſparo Bauhino, aliiſque authoribus Cluſium, & Caſp. Bauhinum in Hiſtoriis ſuis Generalibus ſequentibus, & poſteriori hoc ſeculo ſcribentibus nominatur hæc planta. Cluſium inquam primò hallucinantem, & male nominantem, cæcutientes omnes ſequuti ſunt, nullatenus perpensâ notâ eſſentiali huic generi conveniente, partim quòd non noverant, partim quòd ſupinâ negligentiâ ſopiti ulteriùs librum naturæ indagare non dignati ſunt, ſed tranſcribendo ex anteceſſorum libris, cum ipſis errantibus errare voluerunt, nulla habita ratione notæ genericæ unicuique generi à natura præſcriptæ. Hæc umbella non eſt caucalis, cum ejus ſemen non ſit (caucalidum ritu) aculeatum, aut undique carinis echinatum; quod eſt nota generica & eſſentialis omnibus caucalidum ſpeciebus conveniens, ut in capite de caucalide docuimus ſuprà: quodque quivis percipere poterit ex Tabula noſtra generali icon. ſem. Videte 14 14. 15 15. 16 16. 17 17. 18 18. 19 19. & 19ª. Habetis illic ſemina caucalidum ſumma cum arte nobis à peritiſſimo noſtro Chalcographo exhibita, ex *ἀυτοψία* delineata, & ſculpta. Nos ſemina ipſa omnium ex promptuario noſtro ſeminario ſuppeditavimus, atque eadem publice monſtravimus unà cum omnibus ſeminibus umbellarum in horto publico univerſitatis. Ex dictis ergo aliò eſt remittenda hæc umbella, nec aptius quam ad Tordylium (cum docto Jacobo Plateau, qui ejus ſemen ad Carolum Cluſium miſit) referri poſſe autumo; hoc evidenter apparebit cuilibet intuenti librum naturæ, atque ipſa ſemina contemplanti. Videte Tab. 9. icon. ubi offeruntur umbellæ ſem. membranaceo compreſſo, rotundo, aut ſubrotundo: videlicet peucedanum, ſphondylium, paſtinaca latifolia, & tordylium; ſub cujus genere comprehenditur caucalis maj. Cluſ. perperam ſic appellata. Conſule etiam Tab. icon. ſeminum. 25 25. 26 26. 27 27. 28 28. 29 29. 30 30. Ex libro naturæ à ſeminibus militant omnes hæ umbellæ ſub eodem ſigno.

Ibidem pl. ii. *Caucalis arvenſis echinata magno flore, C. B. P. echinophora πυκνόκαρπος an Gingidium Dioſc. Colum.* Male pro ſynonymâ huic additur à C. Bauhino echinophora *πυκνόκαρπος*, cum huic ſynonyma ſit echinophora *πλατύκαρπος*, Col. & echinophora *πυκνόκαρπος* ſynonyma ſit caucalidi Monſpeliacæ magno fructu. Fiat tranſmutatio nominum à Fabio Col. iconibus malè aſſignatorum, & tolletur lapſus cùm Col. tùm Caſp. Bauhini. Obſervate tab. icon. ſeminum 15. 15. 16. 16. & conſequenter ipſa ſemina, & plantas ipſas examinate, quando habueritis ad manum, & ex libro naturæ collato cum errore Col. & C. Bauhini in ſynonymis hiſce aſſignandis, facile erit detegere hallucinationem prædictam.

Pag. 153. *col.* ii. *pl.* ix. *Caucalis folio peucedani, C. B. P. Caucalis Anglica.* Lob. cum hæc umbella ſit ſemine ſtriato minore (ſaxifragiæ tenuifoliæ more) donata, cùm quoad folia, tùm quoad ſemina, hinc eſt averruncanda propter rationem antedictam, & ad congeneres amandanda, neutiquam vero ad caucalidem (cujus non fert ſymbolum, ſemen ſcilicet echinatum, ſeu aculeatum) redigenda.

CAPUT VII.

UMBELLÆ SEMINE MEMBRANACEO, compreſſo, ſubrotundo, fol. fœniculaceis donatæ.

Septimum Genus ſubalternum.

FERULA.

Νάρθηξ Dioſcorid. l. 3. c. 91. νάρθηξ ἡ νάρθικον Theoph. 6. Hiſt. 2. id eſt (Gaza interprete) ferula & ferulago. Plin. l. 13. c. 22. ferula.

Genera duo ferulæ Plinio: Nartheca Græci vocant, in altitudinem aſſurgentem, nartheciam verò ſemper humilem: & ferula ſine dubio eſt Thapſia, ſed ſui generis &c. & l. 20. c. 23. ferula, quæ ab uno caule dividitur in cacumine, fœmina putatur.

PANAX ASCLEPIAS, & libanotis Ferulæ folio, & ſemine.

Λιβανωτὶς Dioſcoridi lib. 3. c. 87. duum eſt generum, unum fœcundum, cujus ſemen eſt rotundum, anguloſum, acre, linguam exurens, & κάχρυς vocatur, foliis fœniculi, cui alterum conſimile, ſemine lato, minime exurente. Sterile illorum ſimilitudinem refert, ſed neque caulem, neque florem, neque ſemen promit. Non obſtante authoritate Dioſcoridis, hoc παράδοξον eſſe concludo.

De Libanotide vera & genuina, ſeu pilifera, diximus in cap. 1° tractatus ſuperioris, atque in cap. 1. inter hallucinationes Caſpari Bauhini. 2da 3ia & 4ta libanotidis ſpecies contentæ in cap. Caſp. Bauhini de libanotide ferulæ folio, debent hic collocari cum ferula, quia ſunt ſemine membranaceo, compreſſo, oblongo donatæ, ut dictum eſt ſuprà inter hallucinationes de libanotide. Panax Aſclepium ſemine foliaceo, C. B. P. Panax Aſclepium Apulum, Colum. cum ſit Thapſiæ ſpecies, ad 4. cap. doctrinæ noſtræ ſupra traditæ referatur. Vide cætera ſuprà cap. 1. de libanotide ferulæ folio.

ANETHUM.

Ἄνηθον Dioſcoridi l. 3. c. 67. παρὰ τὸ εὐθηθεῖν quod cito creſcat: Theoph. 1. Hiſt. 18. cui 7. Hiſt. 4. plura ejus genera, quæ non recenſet. Plinio l. 2. c. 18. Anethum.

Pag. 147. *col.* ii. *pl.* ii. *Anethum ſylveſtre majus, C. B. P. anethum ſylveſtre grandius ſativo, foliis fœniculi, Cæſalp.* Hæc umbella non eſt anethum, ex verbis Cæſ. qui aſſerit ſemine eſſe *exiguo ferme ut ammeos, ſubacri.* Cum ammeos ſemen ſit oblongum, ſtriatum, anethi autem ſemen ſubrotundum, membranaceum, compreſſum, ſtriis depreſſioribus tribus, in medio ſuperficiei exterioris, ſeu convexæ præditum, ut ſunt omnium prædictarum, & multarum aliarum, de quibus infrà dicemus in hoc capite 7mo, male collocatur hîc pro anetho.

Ibidem col. ii. *pl.* ii. *anethum ſylveſtre minus, C. B. P. & Prod.* *Eſt umbella ex feſtucis* 8. *aut* 9 *uncialibus compoſita, floſculis luteis, ſemine parvo, oblongo*; teſte Bauhino in Prodromo: ergo non eſt ſemine membranaceo, compreſſo, rotundo, ut anethum. Propter brevitatem authorum in deſcriptionibus ſuis, non ritè ſemina obſervantium, impoſſibile eſt certò concludere, ad quod genus debeant quædam umbellæ reduci; ſed ex hac methodo à nobis exhibitâ, facillimum erit omnes umbellas ad aliquod prædictorum generum ſubalternorum à nobis aſſignatorum reducere, modo adſint ſemina, aut ritè & exactè deſcribantur eadem apud authores.

PEUCEDANUM.

Πευκέδανον. Dioſcoridi l. 3. c. 92. Theophr. 9. Hiſt. 14. etſi ſint qui velint, nomen ab amaritudine ſortitum eſſe, tamen à πεύκη, quæ latinis pinus, dictum videtur, cùm hujus folia cum pini foliis ſimilitudinem quandam habeant: unde & pinaſtellum aliquibus nominatur, peucedanum Plin. l. 25. c. 9.

Pag. 149. *col.* ii. *pl.* iii. *Peucedanum minus, C. B. P. peucedani facie puſilla planta, Lob. ad. & icon.* Peucedanum eſt umbella, gramineis foliis, ſemine membranaceo, compreſſo, ſubrotundo prædita. Parum ergo rationi conſonum eſt, hanc umbellulam, eſſe peucedanum, *cùm peucedani facie puſilla, planta ſit* (ut vult Lobelius) *ſemine aniſi breviori, exiliori, guſtu grato, aliquantulùm acri, radice comoſa ſupernè, guſtu oreoſelini*, &c. Hîc ut in aliis complurimis locis, non ſatis ſibi conſtat Lobelius; ignoraverat teſſeram peucedano familiarem, nec alii bene eandem obſervarunt, ſed cum ipſo errante (ſicut utplurimùm fit) errarunt: neque peucedanum Pannonicum, Cluſ. dici debet peucedanum, quia ex Cluſii ipſius verbis *eſt ſemine ſelini fere brevi, craſſiuſculo*, quæ nota non convenit peucedani ſpeciebus, cum peucedani ſemen ſit compreſſum, membranaceum, ſubrotundum. Inſuper ſaxifraga 3ia Matthioli Hiſt. Lugd. non eſt umbella, multo minùs peucedanum: hoc evidenter apparet ex his verbis Dalpini, *floſculos albos, caliculos pallidos, ocymoidis modo & crenatis oris in coronæ modum, admodum puſillos fert, in quibus ſemen rubrum papaveris minus.* Cum hæc ſit deſcriptio lychnidis, longe fallitur C. Bauhinus qui ſaxifragiam 3iam Matthioli Hiſt. Lugd. ſynonymam poſuit cum peucedano; imò & Joh. Bauhinus aſſerit eſſe ſelini ſemine, ergo non eſt peucedanum; niſi me animus longe fallat, aptius ſelini pumili montani ſpecies deſignabitur, aut ſelinum montanum, Cluſ. hæc puſilla planta peucedani facie: quod ex deſcriptionibus Cluſ. & Lob. ad ſeinvicem collatis erui poterit.

UMBELLÆ SEM. COMPRESSO, MEMBRANACEO, ſubrotundo, foliis lobatis donatæ.

SPHONDYLIUM.

Σφονδύλιον folia habet platano ſimilia ad panacis foliorum effigiem accedentia. Dioſcoridi l. 3. c. 90. Sphondylion Plinio l. 12. c. 26. & l. 24. c. 6. ſic dictum fortaſſe ob odoris gravitatem, à ſphondyle inſecti genere, odoris gravis, ut Pena tradidit.

PASTINACA LATIFOLIA.

Ελαφόβοσκον Dioſcoridi l. 3. c. 80. & Plinio l. & c. 22. id eſt pabulum cervi, hoc enim pabulo cervos ſerpentibus reſiſtere fama eſt. Dioſcor. & Plinio Authoribus. Baucia, paſtinaca latifolia Arabum an Elaphoboſcum Adv. Lob. Cum nihil hic, nec ſuprà in ſphondylio occurrit obſervandum, de eo & paſtinacâ plura addere ſuperſedemus, quemadmodum paſſim in hallucinationibus præſtamus.

TOR-

TORDYLIUM.

Τορδύλιον quasi Τορδύλη, quæ vox (ni fallor) scutum significat, & eo nomine satis apte quadrat omnibus umbellis, sub membro hoc 3tio contentis, semine compresso, membranaceo, rotundo, & foliis lobatis donatis; quippe quod earum semina rotunda, compressa, clypei, aut scuti militaris adinstar sint.

Vide hallucinationes Caspari Bauhini, in cap. 2°, ubi seselion species à nobis examinantur, atque ibidem quatuor seseli species ab eo genere abscinduntur, & averruncantur; & caucalis Hispanica à caucalidum numero pariter separatur, propter rationes suprà dictas in propriis capitibus de seseli & caucalide, ut huc ad congeneres, sphondylium, & pastinacam reducerentur, cum quibus conveniunt, quoad formam & figuram seminum, & foliorum appositionem. Quam apposite huc revocantur, intuentibus & mecum examinantibus librum naturæ judicandum relinquo. Ex odore porro & sapore esse umbellas sese declarant, & male hucusque authoribus locatas, sunt enim tantum sylvestres pastinacæ latifoliæ species (sponte in regionibus & locis ipsis convenientibus nascentes) radice fibrosâ præditæ, non autem radice carnosa edules. A forma simili seminum omnes alias umbellas ex libro naturæ ad proprias suas, & genuinas classes reduxi, naturâ mihi monstrante viam, & semina inter se similia producente: insuper similia semina similes pariter produnt vires, & virtutes, secundum saltem magis & minus. Vide cætera cap. 2do hujus tractatus, & cap. 2do de hallucinationibus C. Bauhini, aliorumque authorum de seselion dispositione, & denominatione, cap. itidem de libanotide, & Dauco, ubi umbellæ sem. membranaceo, compresso, oblongo, male locatæ, locis citatis notantur.

PANAX Ηράκλειον, SIVE HERCULANUM.

Πάναξ quasi πᾶσιν ἄκος, omnibus remedium adferens, cujus Theoph. 9. Hist. 10. genera quatuor 1. Syriacum: 2. Chironium: 3. Æsculapium: 4. Herculanum. Chironium, folio rumici simili: Æsculapium, folio Thapsiæ: Herculanum, folio magno, & amplo, ut quoquoversum tres palmos perficiat. Dioscor. l. 3. c. 55. 56. 57. tria genera sunt: πάνακες Ηράκλειον, ex quo opopanax colligitur, foliis ficulneis, quinquepartitis: πάνακες Ασκληπιῦ, foliis fœniculi: πάνακες χειρώνιον, folio amaraci.

Licet hæ panacis Ηρακλείου species utplurimùm sint semine membranaceo, compresso, rotundo, aut subrotundo, lachrymamque thuriferam fundant incisis radicibus, atque panacis nomen obtineant; tamen propter folia lobis latioribus divisa, instar sphondylii, aut pastinacæ latifoliæ, easdem post affines & consimiles hic locavimus. Tesseram communem à seminis formâ eandem, aut plane similem gerunt cum panace Asclepio; ast inquam, propter folia eidem dissimilia, disjungentur à panace ferulæ folio in primo membro hujus 7mi cap. contento, & aptissime hic disponentur in hoc secundo membro; conveniunt enim notâ generica, seminis scilicet forma, proinde utrumque, & Panax Asclepium, & Heracleum, eorumque species, ad 7um hoc caput reducuntur; at propter tenuitatem foliorum, panax Asclepium ejusque species in primo membro cum ferula, panax autem Heracleum ejusque pariter species in secundo collocabuntur membro, cum congeneribus, sphondylio, pastinaca latifolia, & Tordylio, propter folia lobata, ut supra dictum.

Pag. 157. *col.* i. *pl.* ii. *Panax sphondylii folio, sive Heracleum, Casp. Bauh. in Pin. Heracleum Matthioli Hist. Lugd. Panax Heracleum pastinacæ folio, seu fronde, Ad. Lob.* Flores hujus in umbella esse luteos Venetiis in Franciscanorum hortis, at albos in Belgii viretis, ait idem Lobelius. De colore florum unus mihi restat scrupulus; hic de unâ & eâdem specie Panacis Heraclei loquitur Lobelius, sed nec hoc fieri potest, quia nulla umbella una & eadem specie conspicitur fl. luteo & albo donata; varietatem floris colorum non nego, sed specie diversas ipsas umbellas esse contendo; etiamsi Lobelius distinctionem, seu diversitatem in aliis ejusdem partibus non observaverit: si panax Heracleum in horto Franciscanorum Venetiis observatum à Lobelio flores produxit luteos, idem panax Heracleum specie in Belgii viretis non protulit flores albos, ergo male observavit Lobelius.

Pag. 157. *col.* ii. *pl.* iv. *Panax Heracleo similis Hungarica, C. B. P. Tatarica Hungarica, Clus. Hist. Hujus floribus succedunt semina valde crassa, nec absimilia semini illi magno striato libanotidis cachryferæ. Flores non sunt fœcundi, nam raro producunt semina. Biennio radices ejusdem alui, antequam caulem, aut flores, seminave produxerint, deinde corruptæ sunt, & tam fœtidum exhalarunt odorem, ut ex horto nostro Viennensi fuerint ejiciendæ.* Ex his verbis Clusii concludo hanc umbellam, cum semen protulerit magnum, striatum, libanotidis cachryferæ ritu, fuisse cachryos aliquam speciem; proinde nec ex nostra doctrina poterit suis sociis umbellis hic sub panacis nomine contentis conjungi, quia non est sem. membranaceo, compresso, rotundo, aut subrotundo. Cùm vero *Ungari ejus radice alterius panis vice utantur, & Tartari foliorum in aqua decoctum refrigeratum, instar vini bibant,* teste Clusio. Non tam mihi tetri aut fœtidi videntur odoris ejusdem radices, nisi hoc contingat per regulam vulgarem, corruptio optimi pessima. Omnes præterea cachryos species post sationem semina non producunt, nisi 4to aut 5to anno, nec caules, nisi 2do aut tertio emittunt. Quæ facile concurrunt ad probandam hanc esse libanotidis cachryferæ speciem: ideoque male hic collocatur cum panace Heracleo, cujus non fert tesseram, semen scilicet membranaceum, compressum, rotundum, monstrante errorem C. Bauhini libro naturæ.

UMBELLÆ FOLIIS PLURIFARIAM DIVISIS, sem. membranaceo, compresso, subrotundo.

Nos hoc membrum 3lum umbellarum semine membranaceo, compresso, subrotundo, foliis plurifariam divisis donatarum, ex variis classibus, in hunc locum aggregavimus, habita ratione tesseræ suprà traditæ in doctrina cap. 7mi tractatus superioris. Ex capite Casp. Bauhini de apio, quatuor umbelliferas plantas huc tranferemus, videlicet, oreoselinum, Clus. Thysselinum, oreoselinum Parisiensium, Hist. Lugd. & selinum peregrinum 2. Clus. id est apium iv. vii. viii. & x. Casp. Bauhini. Item libanotis altera, cervaria nigra Joh. B. & si quæ aliæ hujus farinæ detegantur, sub quocunque nomine versentur, huc pariter debent remitti. Idem dicendum de dauco Alsatico. Consule doctrinæ supra traditæ cap. 2dum de apio, seseli: & cap. 5tum hallucinationum Caspari Bauhini de dauco.

CAPUT VIII.

UMBELLÆ SEMINE ROSTRATO DONATÆ.

Octavum Genus subalternum.

MYRRHIS.

Μύρρις sive Μύρρα Dioscoridi l. 4. c. 116. myrrhis quæ aliis Smirrhiza, aliis myrrha dicitur. Plin. l. 24. c. 16.

Pag.

Pag. 160. *col.* ii. *pl.* iii. *Myrrhis ſylveſtris ſeminibus lævibus C. B. P. Myrrhis, Fuch. Lugd.* Hæc umbella roſtrata cerefolium ſylveſtre, perenne, majus, ſeminibus lævibus, nigris, nobis exhibet, quia ejus ſemina ſunt lævia, nigra cerefolii ſativi ritu, ſuntque roſtrata, craſſiora duplò quam ſunt cerefolii ſemina; quin & ipſa planta in omnibus, & per omnia major eſt cerefolio ſativo, ergo à ſeminibus lævibus nigris, ſeſe declarat cerefolium, non autem myrrhidem, cujus ſemen ſemper producitur ſtriatum, ſive ſit villoſum, aſperum, aut planum; quemadmodum in anthriſco Plinii, & myrrhide tuberoſa, nodoſa, cicutariæ folio videre eſt. Harum duarum ſemina ſunt ſtriis obducta, ſicut petala florum croci, aut tuliparum variegata, ſeu ſtriata, ſine eminentiis, aut depreſſionibus, ſeu carinis, & ſulcis, quales conſpiciuntur in reliquis myrrhidum proprie dictarum ſpeciebus; ergo male à Caſp. Bauhino & aliis authoribus anthriſcus Plinii ſynonymum habet cerefolium ſylveſtre, cum non ſit cerefolium, ut ſuprà dictum in doctrina noſtra de myrrhide, & cerefolio, in qua oſtendimus cerefolium primariò & principaliter diſcerni à myrrhide, quod illud ſit ſeminibus lævibus, myrrhis autem ſeminibus ſtriatis. Conſule doctrinam noſtram novam ſuprà, cap. 8vo, ubi agitur de myrrhide, & cerefolio, quippe roſtratis, eorumque differentiis à ſeminibus deſumptis. Conſule Tab. Generalem icon. ſem. 37 37. 41 41. quibus repræſentantur ſemina myrrhidis ſylveſtris, ſeu anthriſci Plinii Hiſt. Lugd. & cerefolii ſylveſtris ſeminibus lævibus, quæ à C. Bauhino, & reliquis authoribus exhibentur, permutatis nominibus, & rebus ipſis confuſe traditis. De ſeminibus roſtratis, tam myrrhidum, quam cerefoliorum, conſule tab. icon. ſem. 34 34. 35 35. 36 36. 37 37. 38 38. 39 39. 39^a 39^b 40 40. 41 41.

CHÆROPHYLLUM.

Chærophyllum Columella habet: an Plinii l. 19. c. 8. ſit chærephyllum, quod pæderota Græci vocitent, propter brevitatem aſſerere non licet: & potius ejuſdem anthriſcus, l. & c. 22. forte Theophr. 7. Hiſt. 7. ἐνθασικὸν *Enthuſicum Gaza vertit:* Ὀρεοσέλινον *Dioſcoridis quibuſdam videtur.*

Pag. 152. *col.* i. *pl.* ii. *chærephyllum ſylveſtre, C. B. P. anthriſcus Plinii, Hiſt. Lugd.* Chærophyllum & myrrhida valde cognatas, & affines eſſe umbellas ex libro naturæ hauſimus, eo nomine præcipue quod ſint ambæ roſtratæ: hoc tamen intercedente diſcrimine (ut cuilibet utriuſque ſeminum figuram & formam obſervanti, eaque attentius intuenti apparet) quòd cerefolium ſit ſeminibus roſtratis, ſed lævibus, nigris præditum, non autem ſtriatis, ut eſt myrrhis omnis. Hoc poſito fundamento à natura jacto, anthriſcus Plinii non eſt cum cerefolio collocandus, cum ex Dalechampii deſcriptione in Hiſt. ſua Lugd. quadret omninò myrrhidum ſpeciebus, ac proinde malè cum cerefolio ſylveſtri Caſp. Bauhinus ſynonymum fecit anthriſcum Plinii, atque vice verſa cum myrrhide cerefolium ſylveſtre ſeminibus lævibus jungit, appellando myrrhidem ſylveſtrem. Fiat mutua permutatio harum duarum denominationum, à C. Bauhino aſſignatarum, propter ante dictam rationem ex ſeminum compoſitione, & ſtructura, & tolletur lapſus C. Bauhini errantis, aliorumque ante ipſum ſcribentium, aut poſt ipſum tranſcribentium, atque in ingentia volumina colligentium, qui omnes nedum generum horum duorum, umbellarum roſtratarum notam eſſentialem cognovere, fortaſſe quia nec in hac ſectione, nec in aliis librum naturæ inſpexêre, ſed libros, ſeu volumina authorum ante ſe ſcribentium, aut tranſcripſêre aut tranſtulêre: ex quorum lectione ego obſervo primum errantem, vel male nominantem, & conſequenter perperam digerentem, reliquos ſequentes in præcipitem traxiſſe; hoc contingit non aliter quam in grege ovium, quarum quædam audaciores & fortiores obſervantes pratum nuper tonſum, graminaque mollia ſuggerens, ex via communi quâ adigi ſolent hujuſmodi animalia, tranſeundo foſſam, aggeremve ſuperant, quâ foſſâ ſuperatâ omnes eandem tranſire ſaltando conantur, exemplo fortiſſimarum, ſed perpaucæ intentum acquirunt, aſt in foſſa, lociſque multis aggeribus vicinis, paſtum quærere coguntur: ſic itidem perpauci authores Botanici, eò pervenerunt quò intendebant, ſed ruminando quæ ab aliis fuerunt præmanſa, eadem quaſi reaſſumunt digerenda, tranſcribunt, tranſferunt aliorum ſcripta, atque in immenſa volumina congeſta edunt; libros authorum evolverunt, ſed librum naturæ neglecti habuerunt, ſic cum errantibus errarunt, atque anteceſſorum ſcripta vitioſa publico obtruſerunt, parum ſoliciti de ordine, & methodo, quæ eſt (ut ait Philoſophus) omnis doctrinæ ac diſciplinæ anima; ſed de hiſce aliàs prolixius agemus.

Pag. eadem col. ii. *pl.* iii. *Chærophyllo nonnihil ſimilis, C. B. P. perchepier (id eſt ſaxifraga) Anglorum Lob. Ad.* Ex libro naturæ Chærophyllum eſt umbella, foliis plurifariam diviſis, & ſemine roſtrato longo, quaſi lævi donato, ſecundum doctrinam à nobis ſuprà traditam, ergo Perchepier Anglorum chærephyllo nihil ſimilis, potius quam nonnihil ſimilis, ut vult Caſp. Bauhinus. Non eſt umbella, ergo longe à cerefolii claſſe arcenda eſt hæc planta, ſicut alibi in Prælud. Botanicis pag. 368. diximus. Cum enim in omnibus & per omnia alchimillæ illi conveniant notæ eſſentiales, à flore, & ſemine petitæ, ad alchimillæ claſſem (cum Doctiſſimo Fab. Columna, cui eſt alchimilla montana minima) eſſet referenda, & non inter umbellas collocanda, quemadmodùm hic præſtitit Caſp. Bauhinus, nec per antedictam rationem eſt ſcandix, ut vult Tabernæmontanus.

SCANDIX.

Σκάνδιξ Dioſcoridi l. 2. c. 168. ſylveſtre olus eſt, quod Gingidio ſubjungit: Theoph. 7. Hiſt. 8. Plinio l. & c. 22.

Obſervatio in Doctrinam Caſp. Bauhini & Dalpⁱⁱ de ſcandice. *Pag.* 152. *col.* i. *pl.* i. *Scandix umbellâ ex apicibus coagmentatâ, C. B. P. Scandix Hiſt. Lugd. radice eſt paſtinacæ tenuifoliæ ſylveſtris ſimili, amara & ſubacri; eodem ſere ſapore eſt qui in radice Smyrnii deprehenditur; foliis eſt paſtinacæ tenuifoliæ latioribus, candidis, minime hirſutis: caulibus apponuntur per membranam corticoſam, ſub exortum petiolorum. Spinati ſunt folliculi: caule eſt cubitali, flores in umbella candidi, (non aliarum umbellarum more) petiolis ſeu radiolis rotatim conſtructâ, ſed compluribus apicibus ex candido herbaceis veluti in capitulum congeſtâ, & coagmentatâ, peculiari quadam compoſitione, in nullis aliis umbellis apparente, imo nec in ulla aliâ ſtirpe perſpectâ.* Author ipſe Dalpⁱⁱˢ in Hiſt. Lugd. nullam formæ ſeminum facit mentionem. An ſit ſcandix, an umbella abortiva ſcandici accedens, ſententiam ferre ſuperſedemus, propter imperfectam hujus deſcriptionem, atque ſeminis omiſſionem, quod nimium familiare eſt & huic & aliis authoribus in deſcribendis ſuis plantis umbelliferis.

CAPUT IX.

UMBELLÆ SEMINE ROTUNDO, SEU TESTICULATO.

Nonum Genus ſubalternum.

CORIANDRUM.

Κόριον ἢ Κορίαννον Dioſcoridi l. 3. c. 71. dictum putant, quod folia & caules cimices redoleant. Κορίαννον *Theophraſti 7. Hiſt. & 4. cauſ. 3. cujus genera plura eſſe 4. Hiſt. 7. dicit. Coriandrum Plinio l. & c. 20. quod inter ſylveſtria non inveniatur.*

Pag.

Animadverſio in caput Caſpari Bauhini de coriandro. *Pag.* 158. *col.* ii. *pl.* ii. & iii. *Coriandrum minus teſticulatum, C.B.P. Coriandrum alterum minus odorum Hiſt. Lugd. & ſylveſtre Myconi, Hiſt. Lugd.* Cum duæ icones coriandri ſylveſtris à ſolo Dalpio in Hiſt. ſua Lugd. diverſimodè pictæ exhibeantur primò, atque poſteà eaſdem ex ipſo mutuati ſint alii, quin & ſemina habeant rotunda binatim utrinq; ſibi adhærentia, unius ejuſdemq; plantæ in diverſo ſolo natæ, figuram ibidem exhibitam eſſe non ſine ratione conjecturam facio, cum non reperiam in deſcriptione Hiſt. Lugd. diverſas notas eſſentiales iiſdem aſſignatas. Si quis plantas illas binas eſſentialiter, & ſpecifice, notâ aliquâ diſtinctas produxerit, ipſi conſentire nullatenus refragabor: ſed cum hoc ſit familiare Molinæo compoſitori prædictæ Hiſt. Lugd. bis terve plantam repetere, eandemque diverſis diverſorum authorum iconibus repræſentare, atque aliquando pro unâ & eâdem plantâ tres, nonnunquam 4. icones apponere, ſubiit animum eum ejuſdem culpæ hoc in loco reum judicare. Vide animadverſiones Caſp. Bauhini in eandem Hiſtoriam Lugdunenſem.

CAPVT I.

UMBELLÆ IMPROPRIE DICTÆ.

Primum Genus ſubalternum.

VALERIANA.

Valeriana Dioſcoridi l. 1. c. 10. φῦ ἡ νάρδου ὀμοία, eo quod radices ejus cum quadam odoris gravitate nardum æmulentur: imo & nardo viribus ſimiles, Galeno & Ægineta authoribus. Plin. l. 12. c. 12. Nardum creticum, aliquì agriam vocant, alii Phu folio oluſatri, &c. & l. 21. c. 20. Nardus quod phu appellavimus, officinis & herbariis valeriana, à multis quibus valet facultatibus: quare & Theriacaria dicitur. Genera duo unâ deſcriptione Dioſcorides propoſuiſſe videtur; folia namque oluſatri, majori valerianæ: folia elaphoboſci, mediæ: radices priori, floris color mediæ convenit.

Pag. 164. *col.* i. *pl.* iii. *Valeriana peregrina purpurea, albave, C.B.P. Indica.* Hæc non eſt valeriana proprie dicta, cum ejus ſemen non ſit pappo in ſuperiore parte præditum: ſemen fert cartilagineum quadantenus molle, & fungoſum, oblongum, compreſſum, anguſtumque, ſemper binis fungoſis, & mollioribus oblongis pariter tegumentis involutum, ac ſi eſſet cuneus adactus in alveolum, inter bina tegumenta firmiter amplectentia, verſus baſin idem prædictum ſemen; florem habet eleganter rubrum, quaſique exteriùs & ſuperiùs galeatum, & inferius tubulo oblongo tenui conflatum, à reliquarum valerianellarum infra recitandarum floribus diſtinctum; atque hoc duplici nomine, ſeminis diverſa forma, & floris ſtructura variâ, aptius à nobis disjungetur à valerianis, & ad valerianellæ claſſem ſequentem amandabitur.

Pag. 264. *col.* ii. *pl.* vii. *Valeriana Græca cærula & alba, C.B.P. flore cæruleo & albo, hort. Eyſt.* Hæc nec à capſula ſeminali, floribus, multo minùs ſeminibus etc. valeriana, ſed propter analogiam, ſeu conformitatem in foliis lobatis, ſeu pinnatis, cum valeriana ſylveſtri hic locavimus, at in cæteris partibus nil cum valeriana habet commune aut affine, nos tamen propter antedictam ſimilitudinem in foliis tantùm, cum valeriana fœmina, immediatè poſt valerianam marinam, proprie valerianam dictam, quippe pappo in ſeminibus donatam, hanc eandem hic collocavimus in Tab. cognationis & affinitatis. Vide inter improprie dictas umbellas cap. 1. tract. ſuperioris.

Pag. col. i. *pl.* xvii. & xviii. *Valeriana rubra anguſtifolia C.B.P.* Hæc valeriana etiamſi partibus eſſentialibus floribus & ſemine quam proxime valerianis accedit, exiguam tamen cum illis habet affinitatem quod ad folia: ſed primo intuitu ocymaſtro, aut papaveri ſpumeo, foliis valde convenit; flores inquam habet valerianæ proprie dictæ, & ſemina ei omnino conformia; in floribus hoc obſervatur diſcrimen, quod ſinguli inferiùs calcari donentur, atque hâc factâ obſervatione (à Caſp. Bauhino aliiſque anthoribus hucuſque omiſſâ) valerianellas omnes per ſe in cap. ſequenti umbellarum minùs proprie dictarum collocavimus.

CAPUT II.

UMBELLÆ IMPROPRIE DICTÆ.

Secundum Genus ſubalternum.

VALERIANELLA.

VALERIANELLÆ omnes cum valerianâ ſuprà dictâ in hoc conveniunt, quod flores producant in quina ſegmenta margine diviſos, ſeu pentapetalos, unâ Galeatâ (de qua ſuprà dictum capite præcedenti) exceptâ. At omnes in ſeminibus valde diſpares ſunt, ut videre eſt in Tab. Generali icon. ſeminum 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. Conſule etiam Tab. 7^mam cognationis, & affinitatis, ejuſque explicationem ſuprà; diverſas icones diverſorum ſeminum 10. valerianellarum cernere licet in Tab. Generali icon. ſem. loco citato.

Pag. 165. *col.* i. *pl.* xix. *Valeriana campeſtris inodora major, C.B.P.* Erraſſe Caſp. Bauhinum obſervamus hic, dum valerianam campeſtrem majorem inodoram, ſeu lactucam agninam Ger. Tab. dubitanter aſſerit eandem cum valerianella altera nudo umbilicato, & brevi ſemine, Col. Miror Caſp. Bauhini negligentiam, quum valeriana campeſtris cuilibet pagano, vel ruſtico, aut oppidano artem manuariam excercenti ſit ſatis ſuperque nota; cumque ejus ſemen paſſim in hortis holeraceis ſpargitur à natura ipſam de novo quotannis producente. Quin & Fabius Columna propriâ manu alterius ſemen umbilicatum, nudum, breve pinxit, nullus Caſp. Bauhino proinde dubitandi reſtare debuerat locus; hinc concludendum, aut ipſum nunquam alterutrius ſemen vidiſſe, aut ſaltem (ſi viderit) non bene idem obſervaſſe, nec rite, aut attente Fabium Columnam perlegiſſe. Nos perfectam & diſtinctam varietatem ſeminum omnium harum umbellarum exhibuimus, in explicatione cap. 2. umbellarum improprie dictarum ſuprà in doctrinâ noſtra novâ, atque ſemina ex αὐτοψίᾳ ſculpta obtulimus, in Tab. generali loco ſuprà hic citato. Comparate ipſa ſemina prædicta diverſa, & quam facillime diſtinctionem hanc noſtram, ſpecierum omnium harum percipietis. Conſulite Tab. 7^am cognationis & affinitatis, & umbellas non ſcriptas, ſub finem tractatus præcedentis.

CAPUT III.

UMBELLÆ IMPROPRIE DICTÆ.

Tertium Genus ſubalternum.

PIMPINELLA SANGUISORBA.

PIMPINELLÆ & Bipinellæ à recentioribus, à foliorum ordinibus binis pinnatim, ſeu plumatim digeſtis nominatæ, à veteribus indictæ exiſtimantur; quæ etiam Bipennulæ, & Pampinellæ vocantur. Hæc duplex eſt, pimpinella ſaxifraga, ſeu ſaxifragia, à facultate calculorum à renibus expellendorum. Pimpinellam hanc (cujus ſupra meminimus) inter umbellas ſemine ſtriato minore foliis lobatis donatas collocavimus cap. 2. tractatus ſuperioris. Conſule Tab. 2. cognationis & affinitatis ibidem, ejuſque explicationem, & Tabulam 2. affinitatis ejuſque elenchum. *Altera pimpinella ſanguiſorba, vel ſorbaſtrella, quod ſanguineos fluxus abſorbeat, vel ſiſtat, quæ & μυρίνλη Myrepſio, & quibuſdam fideritis 2da Dioſcoridis cenſetur. Ut* Fabio Columnæ. Nobis hæc dicitur pimpinella ſpicata, ut diſtinguatur à pimpinellâ umbelliferâ, dictâ ſaxifragâ ab effectu, de quâ priùs egimus loco citato, ubi obſervavimus Caſparum Bauhinum male junxiſſe pimpinellam ſanguiſorbam cum pimpinella ſaxifraga. Nos ipſas ſeparavimus, & magis appoſite hic ad calcem umbellarum inter improprie dictas umbellas pimpinellam ſanguiſorbam revocavimus, propter conformitatem foliorum lobatorum pinnatim pediculis adnexorum, videlicet ritu & modo pimpinellæ ſaxifragæ, ſeu umbelliferæ nobis ſic dictæ.

CAPUT IV.

UMBELLÆ IMPROPRIE DICTÆ.

Quartum Genus ſubalternum.

FILIPENDULA.

Pag. 163. *col.* ii. *pl.* vii viii. *filipendula vulgaris C. B. P. & minor in Prod.* Male hîc collocantur hæ duæ à Caſp. Bauhino inter œnanthes ſpecies, quæ ſunt veræ & genuinæ umbellæ, cùm filipendula non ſit umbella proprie dicta à tuberoſitate radicis non magis quam œnanthe; Myconi cujus erroris redarguimus C. Bauhinum ſuprà cap. 2. de œnanthe. Filipendula à glandibus olivaribus, longioribus minuſve, ventricoſis, aſphodeli more foris ex rubro nigricantibus, intus albeſcentibus, per fibrarum filamenta penſis, & connexis nomen ſortita eſt. Nos hic inter umbellas improprie dictas eandem digeſſimus propter aliqualem in foliorum diſpoſitione conformitatem cum umbellis proprie dictis, at ab œnanthe umbellifera eam averruncavimus propter rationes allatas ſuprà, cap. 2. de œnanthe, & hic.

CAPUT V.

UMBELLÆ IMPROPRIE DICTÆ.

Quintum Genus ſubalternum.

BARBA CAPRÆ.

Pag. 163 & 164. *Barba capræ, à florum figura, quæ Barbam caprinam aliquo modo refert, nomen obtinuit: & prima ſeu major Melandryon Plinii l.* 26. *c.* 7. *cenſetur, cujus deſcriptio talis: Melandryon naſcens in ſegete, & pratis fl. albo, odorato: altera ejuſdem l.* 24. *c.* 19. *Rhodora; herba inquit, quam Galli Rhodoram vocant, caulem habet virgæ ficulneæ modo geniculatum; folia urticæ in medio exalbida, eadem procedente tempore tota rubentia: florem argenteum fert.*

Barbæ capræ folia ſunt oblonga, caſtaneæ acuminata, ſerrata, plura ad coſtam mediam alligata, nullis intercedentibus foliolis, ut in ulmaria, à quâ & flores hujus plurimùm differunt (ſcilicet in ligulis) qui racematim ſunt poſiti perpuſilli, candidi; folia autem ulmariæ læto virore nitent, quin & ſeptena ad rachin, ſeu coſtam mediam connexa ſunt (intercedentibus plurimis minoribus) ſerrata, & nonnihil ſinuata, criſpo contextu plicata, & ad ulmi folia accedentia; floribus onerantur caules compactis, ſuaveolentibus, paſſim in pratis humidis provenientibus (unde Regina prati propter ſuaveolentem odorem dicta:) formâ eſt filipendulæ vulgaris, ſubalbidi ſeu ſulphurei coloris: qui appoſitè ſatis à Carolo Cluſio dicitur ὀχρόλευκος. Debuit in pinace poſtponi valerianæ, quia minorem poſſidet cum umbellis propriè dictis affinitatem, quam valeriana; ut clare ſatis docuimus in cap. de valeriana ſuprà.

CAPUT

CAPVT VI.

UMBELLÆ IMPROPRIE DICTÆ.

Sextum Genus Subalternum.

THALICTRUM.

Pag. 336. Θαλικτρον folia coriandri habet, at pinguiora: cauliculum rutæ craſſitudine ramatim provenientem producit, *in quo folia* umbellarum modo plurifariam per lobos diſponuntur. *Dioſcoridi l. 4. cap. 98. Sic dictum forte à θαλλω vireo, eo quod dùm germina protrudit, eleganter vireat. Phellandrium Plinii aliqui ſuſpicantur.*

Thaliƈtrum huc ad calcem umbellarum propriè dictarum revocavimus, propter folia (multarum umbellarum more) plurifariam diviſa: ſicut alias plantas prædictas hic ſupra diſpoſitas, pimpinellam ſanguiſorbam, filipendulam, Barbam capræ, melius & magis appoſite hic quam poſt rutam à Caſp. Bauhino collocavimus, cum ruta ſit quadricapſularis planta, flore luteo tetrapetalo donata, & multis ſtaminulis, ſeu floccis in medio ornata, atque conſequenter capſulas quaternas ſingulis prædictis floribus ſuccedentes habet, quæ continent ſemina minuta, longe à Thaliƈtro diverſa; Thaliƈtri enim ſemina omnia ſunt ſingularia, ſingularibus petiolis, ſeu radiolis inſiſtentia, ſtriata (ſolo Canadenſi Jacobi Cornuti excepto, triquetrâ, aut triangulari capſulâ, aut ſiliquâ donato) anguloſa, vel ſtriis ſeu carinis, & ſulcis prædita, ſeminum umbellarum inſtar; aſt flores ſunt muſcoſi, pluribus floccis lanuginoſis conſtantes, quibus omnibus ab umbellis diſcrepant. Foliis (ut ſupra dictum) umbellis quamplurimis accedunt omnes Thaliƈtri ſpecies, nam folia ſunt trifariam diſpoſita, & ter tripartita, pediculis ſuis innitentia, & propter hanc analogiam cum umbellis, ad umbilicum umbellarum proprie dictarum, inter improprie dictas, Thaliƈtrum diſpoſuimus.

FINIS.

Errata.

Paginâ ii. lineâ 25. *lege* gradu maſticatum. *P.* 21. l. 16. *l.* ejuſque explicationem. *P.* 21. l. 9. *l.* pro de Gingidio, de Siſaro. *P.* 21. *omnibus in Tab. addatur* ☿ *excepto ammi perenni.* *P.* 22. l. 11. *l.* Salmanticam. *P.* 25. l. 13. *l.* 1 1. 2 2. 3 3. 4 4. 5 5. *P.* 37. l. i. *& infra l.* Harcynica. *P.* 38. l. 6. *pro ſingula petala l.* ſinguli flores *P.* 44. l. *ult. dele* ut in. *P.* 46. l. 18. *l.* Salevæ. *P.* 47. l. 7. *l.* infrà. *P.* 52. l. *antep. l.* venenatarum & peſti reſiſtit. *P.* 56. *in Tabul. dele* Tab. Col. *P.* 57. l. 2. *l.* Luſitania *P.* 9. l. 6. *l.* à qua in *P.* 64. l. *penul. l.* alis. *P.* 78. *de Seſeli Col.* 1. l. 1. *pro pl.* iii. *l.* iv. *P.* 80. *de Apio verſus finem l.* exantlatas. *P.* 81. *de aniſo l.* ανισωτον. *ibidem Col.* 2. l. 9. *l.* ipſo. *P.* 80. *Col.* 1. l. 6. *l. pag.* 288. *ibidem de apio col.* 1. l. 1. *pro pl.* iv. *l.* vi. & l. 5. *pro pl.* ix. *l.* x. *P.* 84. col. 1. pl. 5. l. 5. *l.* paſtinacæ *P.* 88. *cap. de cerefolio col.* 2. l. 18. *l.* donata. *In explicatione Tab. Gen. Icon. ſem. lege* 13. indicat ſemen ſingulare cumini capitulis Glob. C. B. P. reticulo exemptum 13. indicat ejuſdem ſemen reticulo involutum & tectum. Alia errata leviora & punctationes corrigat lector.


Umbella.
Lævi.
Aspero.
Sulcato.
Plano.
Cachrys Semine fungoso. I
Semine Striato. II
foliis fœniculaceis.
foliis Lobatis.
foliis Plurifariám divisis.
foliis quid peculiare referentibus.
Umbella.
Laserpitiū Semine alis foliaceis cincto. III
Thapsia Semine ala foliacea cincto. IV
Daucus S. carota.
Semine villoso S. hispido. V
Caucalis.
Semine echinato S. aculeato. VI
Umbella.
Semine membranaceo Subrotundo, VII
foliis fœniculaceis.
foliis Lobatis.
foliis multifariám divisis.
myrrhis.
cerefolium.
Scandix.
Semine rostrato. VIII
Umbella.
Semine testiculato S. rotundo. IX
Coriandrū Sativum.
Coriandrū Sylvestre.
Semine Papposo, valeriana. 1
Valeriana. 2
valeriana Græca. 3
Umbellæ impropriè Dictæ.
Thalictrū. 7
Pimpinella Sanguisorba. 4
Filipendula. 5
Barba Caprę. 6

ELENCHUS UMBELLARUM IN TAB. I.

Generali contentarum, ſemine ſtriato, fungoſa ſubſtantia incluſo donatarum, cognationis & affinitatis.

Genus primum.

CAchrys ſemine fungoſo lævi, foliis Ferulaceis. *A. Frankinſence with fungous ſmooth ſeed, & leaves like Fennell.* G. Cachrys vray, ou Libanotis de *Galien* à graine fungeuſe, liſſée, & à fueille coupée, comme fenouil, ou Ferule de *Matthiol.*

Cachrys ſemine fungoſo, ſulcato, aſpero, foliis Peucedani latiuſculis. *A. Frankinſence with furrowed rough ſeed, & leaves like Sowfennell ſomewhat broad.* G. Cachrys, ou libanotis à graine fungeuſe, canelée & aſpre, à fueille de Peucedanon plus large.

Cachrys ſemine fungoſo, ſulcato, plano, foliis Peucedani tenuioribus. *A. Frankinſence with fungous, furrowed, ſmooth ſeed, with leaves like Sowfennell ſomewhat narrow.* G. Cachrys, ou Libanotis à graine fungeuſe, canelée & liſſée, à fueille de Peucedanon plus eſtroite, ou menuë.

Vide *Tab.* Generalem ſuprà *pag.* adverſa præcedenti.

ELENCHVS TAB. II.

Cognationis & affinitatis,

UMBELLÆ *ſemine ſtriato majore, foliis fœniculaceis donatæ.*

Genus 2.

FOeniculum vulgare. *A. Common Fennell.* G. Fenouil commun.

Fœniculum dulce. *A. Sweet Fennel.* G. Fenouil doux.

Cuminum. *A. Cumin.* G. Cumin cultivé.

Meum Athamanticum. *A. Spignell.* G. Meon.

UMBELLÆ *Semine ſtriato minore foliis fœniculaceis donatæ.*

MEum ſpurium. *A. Baſtard Spignell.* G. Meon faux ou baſtard.

Bulbocaſtanum. *A. Earth theſnut.* G. Bulbocaſtanon maſle.

Selinum pumilum montanun. *Clus. A. Cluſius his ſmall montaine Parſley.* G. Petit Perſil de montaigne de l'Ecluſe.

Viſnaga, ſeu Gingidium. *A. Strange Perſil, or rather pick-tooth Umbell.* G. Gingidion de *Matthiol.*

Saxifraga Pannonica. *Clus. A. Breake-ſtone of Hungaria.* G. Briſe-pierre d'Hungarie.

UMBELLÆ *Semine majore ſtriato, foliis lobatis ſeu pinnatis donatæ.*

LEviſticum. *A. Lovage.* G. Leveche commun, ou Hippoſelinon de *Matthiol.*

Siler montanum majus. *A. Greater Sermontaine.* G. Grand Liguſticon de *Matthiol.*

Siler montanum minus. *A. Leſſer Sermontaine.* G. Petit Liguſticon, ou Sermontaigne.

Siler Aquilegiæ foliis. *A. Sermontaine with columbine leaves.* G. Sermontaigne à fueille d'Ancholye.

Angelica ſativa ſeu major *Dod. A. Angellica.* G. Angelique cultivée.

Angelica ſylveſtris *Dod. A. Wilde Angellica.* G. Angelique ſauvage.

Angelica maxima ſeu montana, C.B.P. & Archangelica. *A. Archangellica.* G. Archangelique.

Angelica Canadenſis. *Corn. A. Angellica of Canada.* G. Angelique de Canada.

Angelica ſylveſtris minor repens ſeu erratica, C.B.P. *A. Goutwort, Herbe-gerard, or Achweed.* G. Petite Angelique trainant.

Imperatoria. *A. Maſterwort.* G. Imperiale.

Aſtrantia, ſeu Imperatoria nigra, major. *A Great Starre-maſterwort.* G. Grand Imperiale noir.

Aſtrantia, ſeu Imperatoria nigra, minor. *A. Little Starre-wort.* G. Petit Imperiale noir.

Smyrnium majus. *A. Alexander, or Aliſſanders.* G. Smyrnion de *Matthiol.*

Smyrnium minus ſeu Creticum. *A. Throughwax-aliſſanders.* G. Smyrnion de *Dioſcorid* & *Dodon.*

UMBELLÆ *Semine ſtriato minore, foliis lobatis ſeu pinnatis donatæ.*

SIſarum. *A. Skirrets.* G. Cherui grand.

Pimpinella Saxifraga major. *A. Great Burnet Saxifrage.* G. Pimpinelle Saxifrage grande.

Pimpinella Saxifraga major degener. *A. Great Burnet Saxifrage with cut leaves.* G. Pimpinelle Saxifrage grande, à fueille coupée, ou fendue.

Pimpinella Saxifraga minor. *A. Leſſer Burnet Saxifrage.* G. Pimpinelle Saxifrage petite.

Pimpinella Saxifraga minor criſpa. *A. Leſſer Burnet Saxifrage with cut leaves.* G. Pimpinelle Saxifrage petite, coupée.

Siſon. *A. Wilde Parſley, or Amomum of the Germane's.* G. Siſon, ou Perſil de Macedoine de *Dodon.*

Sium terreſtre ſeu ſegetale. *A. Corne Parſley, or Honewort.* G. Berle ou vray Sion des bleds.

Sium aquaticum, latifolium. *A. Large water Parſley.* G. Berle, ou Sion aquatique à large fueille.

Sium aquaticum anguſtifolium. *A. Narrow-leaved water Parſley.* G. Berle ou Sion aquatique à eſtroite fueille.

Sium aquaticum ad alas floridum. *A. Water Parſley flowring at the joints.* G. Berle, ou Sion aquatique, fleuriſſant aux aiſles.

Sium aquaticum foliis rugoſis, trifidis, & dentatis. *A. Water Parſley with rough leaves parted in three & cut like a ſaw.* G. Berle, ou Sion aquatique, avec les fueilles rugeuſes, partagées en trois, & dentelées.

Sium aquaticum pumilum foliis fœniculaceis. *A. Dwarfe water Parſley with leaves like Fennell.* G. Sion aquatique petit, ou Berle à fueille menue, coupée comme celle de fenouil.


Umbellæ Sem: striato fæniculaceæ. Seu
foliis fæniculaceis. Sem: minore Striato.
meum spurium
bulboca- stanum
Selinum montanum pumilum clus.
visnaga S. gingidium
Saxifraga pannonica clus.
foliis fæniculaceis. Sem: majore striato.
fæniculum
vulgare
Dulce
cuminum
meum athaman- ticum
Umbellæ lobatæ ma- jores. Sem. Striato majore
imperatoria
major
astrantia
minor
majus
minus
Smyrnium
levisticum
majus
Siler montanum
minus
Siler aquilegiæ folus
angelica
Sativa
Sylvestris
maxima montana C.B.P.
lucida canaden- sis corn.
Sylvestris minor S. erratica B.P.
Umbellæ lobatæ mi- nores. Sem. striato mi- nore
latifolium
terrestre S. Segetale
angustifo- lium
ad alas floridum
rugosis folus trifidis & Dentatis
pumilum fænicula- ceis folus
aquati- cum
Sium
Sisarum
pimpinella Saxifraga
Sison
major
major degener
minor
minor crispa

ELENCHUS TAB. III.

Cognationis & affinitatis.

UMBELLÆ *Semine majore ſtriato, foliis plurifariam diviſis.*

SEſeli Æthiopicum, frutex. *A. Woodie Hart-wort.* G. Seſeli d'Æthiopie ligneux.

Seſeli pratenſe. *A. Medow Hart-wort.* G. Seſeli des prez.

Seſeli montanum, ſeu Pannonicum 1um *Clus. A. Montaine, or Hungarie Hart-wort.* G. Seſeli des montaignes ou d'Hungarie de l'Ecluſe.

Cicuta latifolia fœtidiſſima. *A. Broad leaved ſtinking Hemlocke.* G. Ciguë, ou Cicutaire à large fueille puante.

Cicuta major. *A. Great common Hemlocke.* G. Ciguë commune.

Cicuta minor. *A. Fooliſh Hemlocke, or counterfeit Parſley.* G. Petite Ciguë.

Cicuta paluſtris tenuifolia. *A. Small water Hemlocke.* G. Ciguë des eaux, ou Phellandryon de *Pline.*

Oenanthe maxima odore viroſo. *A. Water Dropwort, or Oenanthe of a high virulent ſmell.* G. Oenanthe veneneuſe, & tres-grande, tirant à la Ciguë.

Oenanthe Apii folio. *A. Dropwort with Parſley leaves.* G. Oenanthe à fueille de Perſil.

Oenanthe anguſtifolia. *A. Dropwort with long narrow leaves.* G. Oenanthe à fueille eſtroite & longue.

Oenanthe Millefolii paluſtris folio. *A. Dropwort with leaves like water Yarrow.* G. Oenanthe à fueille de Mille-fueille d'eau.

Crithmum marinum. *A. Sampierre, or ſea Purſlane, rather ſea Parſley.* G. Fenoüil marin, Crithmon, Bacille, & Batis de *Pline.*

Crithmum ſpinoſum. *A. Pricklie Sampierre, or ſea Parſley rather than ſea Parſnep.* G. Fenouïl marin, ou Crithmon eſpineux, ſelon aucuns, Paſtinade marine.

UMBELLÆ *Semine ſtriato minore, foliis plurifariam diviſis.*

APium ſativum planum. *A. Plaine garden Parſley.* G. Perſil des jardins liſſé.

Apium ſativum criſpum. *A. Curled Parſley.* G. Perſil des jardins creſpu.

Apium ſativum, ſeu montanum anguſtifolium. *A. Montaine Parſley with narrow leaves.* G. Perſil des montaignes à fueille eſtroite.

Apium latifolium degener, foliis diſſectis. A. *Garden Parſley with cut leaves.* G. Perſil des jardins, large & à fueille coupée.

Apium hortenſe maximum. A. *Greateſt Garden Parſley.* G. Le plus grand Perſil des jardins.

Apium umbellâ luteâ. A. *Yellow tufted Parſley.* G. Perſil à fleur jaune.

Apium paluſtre Italicum, ſeu Selleri. A. *Italian Smallage, or Selleri.* G. Perſil des marrais d'Italie, ou Selleri des jardins.

Apium paluſtre noſtras. A. *Smallage, or water or marſh Parſley.* G. Perſil des marrais, ou Ache commune.

Apium ſemine villoſo & incano, Macedonicum. A. *Macedonian Parſley with white hoarie ſeed.* G. Perſil de Macedoine à graine blanche, & veluë.

Apium ſemine villoſo fuſco. Selinum peregrinum. 1um *Clus.* A. *Strange Parſley with winged leaves & brown hoarie ſeed.* G. Perſil eſtranger, premier de l'Eſcluſe à graine brune & veluë.

Ammi annuum vulgare. A. *Biſhopſweed.* G. Ammi de *Dalechamp*, ſelon quelques-uns.

Ammi perenne. *Nobis.* Ammi *Fuchſii Dalpii* in *Hiſt. Lug.* A. *Long Laſting, or perennall Biſhops-weed.* G. Ammi perennel, ou Ammi de *Fuchſe.*

Carum & Carui. A. *Caraways.* G. Carui de *Matthiol.*

Aniſum. A. *Aniſe.* G. Anis.

Pyrethrum. A. *Pellctory of Spaine.* G. Pyrethre vray.

UMBELLÆ *Semine ſtriato, foliis quid peculiare referentibus.*

BUpleurum perenne latifolium. *A. Large Hares-eare Perennall.* G. Bupleuron perennel à large fueille.

Bupleurum perenne anguſtifolium. A. *Narrow, perennall Hares-eare.* G. Bupleuron perennel à fueille eſtroite.

Bupleurum annuum minimum. *Col.* A. *Leſſer Hares-eare annuall.* G. Petit Bupleuron annuel de *Columna.*

Perfoliata perennis Alpina anguſtifolia major. C. B. P. A. *Great narrow leaved Through-waxe perennall.* G. Grande Perce-fueille perennelle, & à fueille eſtroite des Alpes.

Perfoliata annua vulgatiſſima. A. *Common great Through-waxe annuall.* G. Grande Perce-fueille annuelle.

Perfoliata annua minima Bupleuri folio, *Col.* A. *The leaſt Through-waxe annuall with leaves of Bupleuron.* G. Tres-petite Perce-fueille annuelle, à fueille de Bupleuron.


Umbellæ foliis pluri=fariam divi=sis; semine striato majore
ænanthe
maxima succo viro=so cicutæ facie lob.
apii folio
angusti=folia
millefolii palustris folio
crithmū
marinum dod.
Spinosum dod.
seseli
frutex; æthiopi=cum.
pratense
montanum pannonicū i. clus.
cicuta
latifolia fœtidissi=ma
major
minor S. fatua
palustris tenuifo=lia B. P.
Umbellæ foliis pluri=fariam divi=sis; semine striato minore
ammi
annuum vulgare Dod.
perenne, ammi quo=rundam Dal.ii hist. lugd.
Carum
anisum
pyrethrū
apium
hortense S. Sativum
planum
crispum
angusti=folium
Degener, foliis longis
maximū B. Prod.
umbella lutea
palustre
italicum S. Scelleri
nostras
Semine villoso & incano
macedo=nicum B.P.
peregri=num. i. clus.
Umbellæ foliis quid peculiare re=ferentibus. Semi striato
perfoliata
perennis
alpina angusti=folia maj.
vulgatissi=ma
minima, Bupleuri folio
annua
Bupleurum
perenne
latifolium
angusti=folium
annuum minimum Colum.

TAB. IV.

ELENCHUS TAB. IV.

Cognationis & affinitatis.

UMBELLÆ *Semine alis foliaceis cincto.*

Genus 3.

LAſerpitium lobis latioribus, Seſeli Æthiopicum, herba, *Dod.* Libanotis Authoribus vulgo dicta. *A. Broad leaved Laſerwort with plaine ſeed-ſilmes.* G. Laſerpition nommé Seſeli Æthiopicum, herba, par *Dodon.* & Libanotis, par la plus grande part des Autheurs.

Laſerpitium lobis latioribus, libanotidi ſimile, ſemine criſpo, ſeu Coſtus amara, J. B. *A. Broad leaved Laſerwort with curled rough ſeed-ſilmes.* G. Laſerpition à large fueille, ayant les ſemences undoyées ou creſpûes & rugeuſes.

Laſerpitium lobis anguſtioribus ſaturatè virentibus & lucentibus, ſemine criſpo. *A. Laſerwort with narrow, ſad-green ſhining leaves, and curled ſeed-ſilmes.* G. Laſerpition, ayant les fueilles eſtroites, de couleur obſcure, vertes, & luiſantes, & à la graine creſpuë.

Laſerpitium lobis anguſtioribus dilutè virentibus, & multifariam diviſis. *A. Laſerwort with narrow-cut light-green leaves.* G. Laſerpitium à fueille eſtroite, coupée, de couleur verte-lavée.

Laſerpitium lobis longioribus dilutè virentibus, conjugatim diſpoſitis. *A. Laſerwort with long light-green leaves, ſet oppoſed.* G. Laſerpition à fueille longue eſtroite, de couleur verte-lavée, directement oppoſée l'une à l'autre.

UMBELLÆ *Semine ala foliacea cincto.*

Genus 4.

THapſia latiſſimo folio. C. B. P. & 3ia *Clus. A. Thapſia, or ſcorching fennell Gyant.* G. Grande Thapſie.

Thapſia latifolia villoſa. C. B. P. 1a *Clus. A. Thapſia, or ſcorching Fennell with large hoarie leaves.* G. Thapſie à large fueille veluë.

Thapſia minor carotæ effigie *Lob. A. Little ſcorching Fennell with the leaves like Carrots.* G. Petite Thapſia à fueille de carote.

UMBELLÆ *ſemine villoſo, ſeu hiſpido.*

Genus 5.

PAſtinaca tenuifolia, ſativa, alba. *A. Carrott with a white root.* G. Carote commune à la racine blanche.

Paſtinaca tenuifolia, ſativa, lutea. *A. Carrott with a yellow root.* G. Carote commune à la racine jaune.

Paſtinaca tenuifolia, ſativa, rubra. *A. Common Carrott with a red root.* G. Carote commune à la racine rouge.

Paſtinaca tenuifolia, ſylveſtris, genuina *Dioſcoridis. A. Wilde carrott.* G. Carote ſauvage, ou la vraye de *Dioſcorid.*

Paſtinaca tenuifolia, ſylveſtris, lucida. *A. Wilde Carott with ſhining leaves.* G. Carote à fueille luiſante.

Paſtinaca tenuifolia, ſylveſtris, radice, & umbella lutea. *A. Carott with a yellow root, & umbell.* G. Carote ſauvage à la racine & ombel jaune.

Paſtinaca tenuifolia Cretica, umbellæ radiis Gingidii longioribus. *A. Carott with the ſtemmes of the umbell longer then thoſe of Gingidium.* G. Carote avec les rayons de l'ombel, plus longs que ceux de Gingidion.

Paſtinaca Cretica capitulis globoſis. *Nobis.* Cuminum ſylveſtre. *Tab. A. Carott of Candie with winged leaves & round tufts in it's umbell.* G. Carote de Crete ou Candie à fueille aiſlée, & ayant les teſtes des ombels rondes, en guiſe de boules.

UMBELLÆ *Semine echinato, ſeu aculeato.*

Genus 6.

CAucalis major Platyphyllon purpurea, & alba, *A. Great baſtard Carrott with large leaves and red, or white flowers.* G. Grand Caucalis à large fueille, & à fleur rouge ou blanche.

Caucalis major leptophyllon, Monſpeliaca, magno fructu. C. B. P. *A. Baſtard Carott with narrow leaves & Great thicke ſeed.* G. Le grand Caucalis à fueille coupée, & aux graines groſſes.

Caucalis major Leptophyllon, echinata, magno flore, *Clus. A. Baſtard Carott with narrow leaves and a bigg white flower.* G. Le grand Caucalis à fueille coupée, avec la fleur grande, blanche.

Caucalis minor arvenſis, parvo flore, & fructu. C. B. P. *A. The leſſer feild Caucalis, or baſtard Carott with little flowers, & ſeeds.* G. Le petit Caucalis des champs, à la fleur & graine petite.

Caucalis nodoſa, echinato ſemine. C. B. P. *A. Leſſer baſtard Carott with leſſer ſeed, growing together in knotts.* G. Caucalis, avec beaucoup de graines heriſſonées, jointes enſemble, en guiſe de grappe.

Caucalis Daucoïdes Tingitana. *A. Baſtard Carott of Tangers with leaves of the true carott.* G. Caucalis de Tanger, avec les fueilles de carote.

Minor fuit hæc quando primò vidi, ſed jam hoc anno, quo hæc ſcribo, major & grandior omnino provênit in horto *Edwardi Morgan* pone *Monaſterium Weſtminſter* dictum.


Umbellæ semine alis foliaceis cincto.
Thapsia semine ala foliacea cincto. Genus IV subalternum
maxima latissimo folio B.P. 3. clus.
latifolia villosa 1 clus.
minor carotæ effigie lob.
Laserpitium semine alis foliaceis cincto. Genus III subalternum.
lobis latioribus
Seseli æthiopicum. herba, dod.
libanotidi simile sem. crispo LB.
lobis angustioribus
Saturate virentibus, & lucentibus. Sem. crispo
dilute virentibus, plurifariam divisis.
dilute virentibus, conjugatim dispositis.
Umbellæ semine villoso s. hispido; & Sem Echinato, S. aculeato donatæ
Caucalis semine Echinato, s. aculeato Genus VI.
purpurea Col.
alba
platyphyllon
major
monspeliaca, magno fructu
leptophyllon
Echinata, magno flore clus.
Daucoides Tingitana
arvensis parvo flore & fructu
minor
nodoso Echinato semine
pastinaca tenuifolia, Daucus, s. carota sem villoso S. hispido Genus V.
Sativa
alba
lutea
Rubra
Sylvestris
Genuina dioscor.
lucida
radice & umbella lutea
Cretica
Umbellæ radiis, Ginogidii longioribus
Capitulis Globosis nobis cuminum Syl. Tab.

TAB. V.

ELENCHVS TAB. V.

Cognationis & affinitatis.

UMBELLÆ *Semine membranaceo, ſubrotundo, compreſſo,* fol. *fœniculaceis donatæ.*

Genus 7.

FErula *Matthiol. Dod. A. Fennell Gyant.* G. Ferule de *Matthiol.*

Ferula Galbanifera, *Lob. A. Fennell Gyant bearing the Galbanum.* G. Ferule portant le Galbanon.

Panaces peregrinum, ſeu Panax. *Dod. A. Woundwort, or All-heale.* G. Panax Aſclepion de *Matthiol.*

Anethum. *A. Dill.* G. Anet.

Peucedanum majus Italicum, *Lob. A. Sow-fennell, or Sulphurwort.* G. Grand Peucedanon d'Italie.

Peucedanum minus Germanicum. *A. Leſſer Sowfennell, or Sulphurwort of Germanie.* G. Petit Peucedanon, ou Fenoüil de pourceau d'Alemaigne.

Peucedanum minus, foliis conjugatim diſpoſitis. *A. Sowfennell, or Sulphurwort with two leaves ſet oppoſed upon the chief rib.* G. Petit Peucedanon, avec une couple des fueilles oppoſées, l'une à l'autre.

UMBELLÆ *Semine membranaceo, ſubrotundo, compreſſo, foliis lobatis, ſeu pinnatis donatæ.*

SPhondylium vulgare hirſutum. C. B. P. A. *Cowparſnepe.* G. Sphondilion de *Matthiol.*

Sphondylium hirſutum foliis anguſtioribus. C.B.P. & *Prod. A. Cowparſnepe with narrow cut leaves.* G. Sphondylion velu à fueille eſtroite.

Paſtinaca latifolia ſativa. *A. Garden Parſnepe.* G. Panais, ou Paſtenade cultivée, Elaphoboſcon, ou Baucia de *Dodon.*

Paſtinaca latifolia ſylveſtris. *A. Wild Parſnepe.* G. Panais, ou Paſtenade ſauvage.

Tordylium majus vulgare, limbo quaſi lævi. *A. Common greater wilde Bucklerwort.* G. Panais des champs, produiſant ſemences ſans chappelet au bord, portant les fleurs blanches.

Tordylium minus, limbo granulato, Syriacum. *A. Syrian Bucklerwort.* G. Tordilion ou petit Panais de Syrie à graine plus grande, portant comme des grains de chappelet au bord.

Tordylium minus limbo granulato, ſeu minimum Apulum, *Col. A. Bucklerwort of Apulia in Naples.* G. Tordilion, ou petit Panais d'Apuïle, à graine plus petite, portant comme des grains de chappelet au bord.

Panax Paſtinacæ folio, an Syriacum, C. B. P. Panaces peregrinum, *Dod. A. Allheale with parſnepe leaves.* G. Panaces Chironion de *Dodon.*

Panaces, ſeu Panax coſtinum, ſeu coſtus *Matth. A. Allheale with leaves of Sphondylium.* G. Coſtus baſtard de *Matthiol*, ou grand Panais ſauvage.

Hæc umbella & aliæ hic in *Caſp. Bauhini* pinace contentæ, cum ſint ex prædictarum familia, ſemine membranaceo, ſubrotundo, compreſſo, præditarum: cæteris ſui Generis debent adjungi, quemadmodum in aliis omnibus ſubalternis Generibus præſtandum relinquo.

UMBELLÆ *Semine membranaceo, ſubrotundo, compreſſo, foliis plurifariam diviſis donatæ.*

OReo-ſelinum. *Clus. A. Montaine parſley with flat ſeed.* G. Perſil de montaigne à graine plate.

Libanotis *Theophraſti* Libanotidis alterum genus *Dod. Gall.* Saxifragia Venetorum. *Lob. ad. A. Breake-Stone of the* Venetians. G. Briſe-pierre des Venetiens.

Thyſſelium *Dod. A. Milkie Parſley.* G. Perſil des Marraiz rendant laict.

Seſeli paluſtre lacteſcens. C. B. P. & *Prod. A. Marſh, or medow Hart-wort.* G. Seſeli des prez rendant laict, ou plutoſt un ſuc laicté.


Umbellæ Semine membranaceo, Subrotundo, compresso, foliis fæniculaceis Donatæ.
majus Italicum
minus Germanicum
foliis conjugatim positis
peucedanum
ferula
matth. Dod.
Galbanifera lob.
panax S. panaces asclepium Dod.
anethum
majus vulgare, limbo quasi lævi, nobis.
Syriacum
minus, limbo Granulato, nobis.
apulum, minimum colum.
Tordylium
panaces peregrinum Dod.
Umbellæ Sem membranaceo, Subrotundo, compresso, foliis lobatis Donatæ.
Sphondylium
vulgare hirsutum
hirsutum foliis angustioribꝰ B. Prod.
pastinaca latifolia
Sativa
Sylvestris
Thysselium Dod.
Seseli palustre lactescens B. Prod.
Umbellæ Sem. membranaceo, Subrotundo, compresso, foliis pluri fariám divisis Donatæ
oreoselinum Clus.
libanotidis species altera lugd. dod. Gall.

TAB. VI.

ELENCHUS TAB. VI.

Cognationis & affinitatis.

UMBELLÆ *Semine roſtrato.*

Genus 8.

Myrrhis perennis ſemine ſtriato, alba, major, odorata. *A. Sweet Chervill, or Cicely.* G. Myrrhis ou cicutaire de *Matthiol.*

Myrrhis perennis ſem. ſtriato, alba, minor, foliis hirſutis. *A. Leſſer montaine Chervill, or Cicely with hairie leaves.* G. Petit myrrhis des montaignes à fueille veluë.

Myrrhis perennis ſem. ſtriato, alba, minor, foliis hirſutioribus. *A. Leſſer montaine Chervill with more hairie leaves.* G. Petit Myrrhis des montaignes aux fueilles plus veluës.

Myrrhis perennis ſem. ſtriato, alba, minor, foliis hirſutiſſimis. *A. Leſſer montaine chervill with white flowers & moſt hairie leaves.* G. Petit Myrrhis des montaignes, aux fueilles tres-veluës.

Myrrhis perennis ſem. ſtriato, lutea, daucoïdes. *A. Montaine Chervill, or Myrrhis with a yellow tuft or umbell, & leaves like carrotts.* G. Myrrhis perennel à fleur jaune & à fueille de carote.

Myrrhis annua ſemine ſtriato, aſpero, oblongo, nodoſa. *A. Annuall Chervill with rough, long, furrowed ſeed, and knottie joints in it's ſtalke.* G. Myrrhis annuel, avec une tige noüeuſe, & ſes graines longues, aſpres, & canelées.

Myrrhis annua ſemine ſtriato, aſpero, brevi, *Nobis.* Nova Æquicolorum, *Colum. A. Wilde annuall Chervill with ſhort, blacke, rough furrowed ſeeds.* G. Petit Myrrhis à graine courte, noire, aſpre, & canelée.

Myrrhis annua nodoſa, ſemine ſtriato, lævi, *Nobis.* Anthriſcus *Plinii Hiſt. Lug. A. Annual Cicely with furrowed ſmooth ſeeds.* G. Anthriſcus de *Dalechamp*, Myrrhis à tige noüeuſe, & à graine canelée, & liſſée.

Myrrhis annua ſemine ſtriato, villoſo. *A. Annuall Cicely with hoarie furrowed ſeed.* G. Myrrhis à graine canelée & veluë.

Cerefolium ſativum *Trag.* A. *Chervill.* G. Cerfueil commun.

Cerefolium ſylveſtris ſeminibus lævibus, nigris, *Nobis.* Cicutaria (forte) alba *Hiſt. Lug.* A. *Wilde Chervil with black ſmooth ſeed.* G. Cerfueil ſauvage à graine noire & liſſée.

Scandix ſeu pecten Veneris. *A. Shepheards needle.* G. Aiguille de Berger, ou Scandix de quelques uns.

UMBELLÆ *Semine rotundo, ſeu teſticulato.*

Genus 9.

